



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

De Animati corporis temperatione, liber primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)



HIERONYMI DANDINI

Casenatis, è Societate Iesu.

DE CORPORE ANIMATO.

LIBRI VII.

DE ANIMATI CORPORIS TEMPERATIONE.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.



Pictorum con-
ditio.

Vod pictoribus accidere solet, hoc ego magnopere cum Critia apud Platonem vereor, nemini quoque hoc loco ad animati & verè humani corporis fabricam describendam accedenti cueniat. Illi cum pennicillo aut res diuinas efformant, aut terram pingunt & montes, flumina, maria, sylvas, vrbes, prouincias, cœlestia corpora, stirpes, aues, bestias quascumque, satis muneri suo fecisse existimantur, si vel tenuem earum rerum imaginem, fuerint assecuti neque à nobis eorum picturæ, aut examinantur attentius, aut seueriori iudicio reprehenduntur. At si ad nostrorum corporum similitudinem effigendâ manû posuerint, tum demû propter plurimam nostrorum rerum cognitione & familiarem earum animaduersionem acutius perspicimus, si quid vel minimum erratum fuerit, seuerioresque sumus iudices & exactores aduersus eos, qui non satis lineamenta singula coloreque expresserint.

Scriptorum cõ-
ditio, similis.

Idem enim euenit illis, qui de his ipsis rebus scribere, & verè etiam loqui aggrediuntur. De diuinis namque cæteris rebus natura cõstantibus vel mediocriter esse locutum tenuemque cognitione tradidisse, satis esse putatur: quæque dicta fuerint aut scripta, non tam artificis, quàm populari ferè quadam trutina pensantur. At ea, quæ ad nostra siue corpora siue animas pertinet, exactè nimirum examinare solemus: & si quid non dico peccatum, sed minus, quàm res fortasse postulare videbatur, appositè dictum, aut accuratè & propriè fuerit explicatum liberius reprehendere. Accedunt eius rei, de qua agitur difficultas maxima, vtilitas & iucunditas. Nam vt diuina nunc præmittam, pars hæc naturalis corporis, vt est om-

Anium præstabilissima, sic plurimam quidem vtilitatem habet ac iucunditatem, quibus ad inuestigandum & cognoscendum allicimur, sed grauissimis est ac pene inextricabilibus difficultatibus plena, quas qui vel mediocriter explicauerit, cum ego non inutiliter laborasse credidero. Archimedes Siculus situm aliquem extra terram optabat, ita sperans se contra totam terram libraturum. Aiebat enim se, dum esset in ea, contra eam nõ habere virtutem. Et Aristoteles nosler cognoscendam facultatem eare, quam cognitura sit, ipsoliam esse voluit: nihilque sapientibus vilius est difficilius, quàm seipsum cognoscere.

Cognitio sui
facilis.

B At quid tandem istud est, quod nobis cognoscendum proponitur? Audacis nature miraculum, animal adorandum, venerandum mortale Deum, rerû omnium mensuram, *ὁμοιομετρητος*, Zoroastes Trismegistus, Pythagoras, Plato hominem appellarunt: & *μακροβιωτος*, in quo quidquid in amplissimo mundo spatium reperitur, vnitû & collectum continetur, antiquitas vniuersa. Nos admirabile sapientissimi opificis Dei opificium: quod vt diuinitissima omnium forma, sic optimo & quàm maxima fieri potuit arte atque industria preparato corpore cõstat. Non solum enim duplcis qualitatis coniugationem habet, vt simplicia elementorum corpora, aut horû quoque permissionem, vt lapides & metalla: sed & sane ipsam multo, quàm illa, perfectiorem, & plurium præterea partium ac membrorum distinctionem, quibus aliæ atque aliæ operationes animæ perficiantur. Hinc diuersa primum & interdum contrariæ temperationes existunt: deinde plurimæ homogeneæ partes ex illis tẽperationibus ortæ: tum verò heterogeneæ, quæ ex homogeneis pluribus coalescunt atque ex his vniuersum tandem viventis corpus coagmentatur. Atque in animalibus illud est pe-

Homo quid?

Animalis cor-
poris cõpositio.

A

culiare, vt ex elementarium qualitatum temperatione quatuor primū existentium humores, bilis duplex, flaua & atra, sanguis & pituita, ex quibus (vt communis tradit medicorum schola) homogenea primū partes, tum heterogenea ac totum denique corpus componantur.

Duplex tractandus modus.

Itaque duobus modis animale corpus tractari potest: aut componendo, à simplicioribus factō principio atque ad composita progrediendo, quouisque integrum & absolutum corpus existat. Aut composita dissoluendo in ea, quæ sunt simplicia, totumque in suas partes ac principia dissecando: siue id sola mētis actione fiat, siue manuum vsu. Illud theoreticū est, hoc practicū, priorem actionem *apud* dicamus, posteriorem *apud* *id est*. Vtramque amplecti optimum fuerit, compositionem inquam & resolutionem, primūque de principijs & partibus agere, atque ex illis totum corpus quali componere: tum si liberit cōpositum illud in partes rursum dissoluere, mente potius, quā manu. Et si enim manū quoque admouere aut certē admouere posse præclarum est atque homine dignum philosopho: sanè tamen partem, ita eam occuparunt medici, vt consideratio potius ac theoria Philosophi propria videatur. Siue autem theoreticam, siue practicam dissolutionem species, sanè Galenus in 8. libr. de Hippocritatis & Platonis decretis homogeneas partes, prima & vltima definiens corpora, tum compositionem accepit, tum dissolutionem. Prima namque sunt compositione, vltima dissolutione. Nam et si ex elementis hæ ipsæ componantur atque in ea dissoluantur, elementaque rursum ex materia consent & forma, & in eas ressolui queant, quin & aliam addant medici, tum illarum partium ex humoribus compositionem, tum in eisdem dissolutionem: hæ tamen sensiles non sunt, aut compositiones aut dissolutiones, quæ & tractentur manibus & inspiciantur oculis. Sed illæ solæ, quæ homogenearū & heterogenearum partium sunt: quarum illa compositione prima, dissolutione vltima censentur. Itaque in his præcipue versabitur nostri laboris pars. Verū ne quid intactum præmittatur, quatuor omnino libris rem totam absoluemus, qui quatuor illis cōpositionibus respondebunt, quæ in viuētibz corporibus considerantur. Primus hic erit de animati corporis temperatione. Alter de humoribus. Tertius de homogeneis partibus. Quartus de heterogeneis, quæ organice nominantur, generalemque totius corporis descriptionem continent. Primus liber viuētibz omnibus cōmunis erit, secundus & tertius solis conuenient animalibus, quartus hominis maximè proprius, cæteris quoquo modo communis.

Duplex animati.

Duplex Animati corporis compositio.

DE QUATUOR
qualitatum temperatione.

CAPVT I.

A Prima igitur animati corporis temperatione, quæ ex elementis est, ducto principio, duplex in mistorum, omnium corporum productione fit elementorum permixtio, qualitatum vna, quæ temperatio pro-

permixtio duplex.

priè dicitur: altera substantiarum, quæ mistio verè nominatur. Illa prior ortu, hæc intentione naturæ. Propterea namque temperantur qualitates, vt hac antecedente dispositione elementorum quoque substantiæ miscantur. De hac substantiali mistione eo loco dicitur, vbi de formarum in viuētibz multitudine disputabitur. Nunc qualitatum, caloris, frigoris, humoris, & siccitatis temperatio consideratur.

De qua multiplex difficultas. Illa omnium prima, num eadem numero qualitates, quæ in elementis ante mistionem integræ fuerant, & perfectæ, in corporibus mistis fractæ magna que ex parte immixta continentur. Negant S. Thomas eiusque discipuli: quibus vnuerse certum est nullum cuiusuis corporis, quod intereat, superesse accidens posse in eo, quod gignitur, aliæque eiusdem speciei noua succedente forma produci. Ac quod est illis in hac questione certum principium, in libris de elementis perquam falsum esse ostendi, optimum que ac certissimum ducem sensum secutus necessarius quoque argumentis confici plurimas pereuntis rei qualitates incolumes in regnata conseruari. Hoc loco sat fuerit addidisse, iisdem substantiæ formis manentibus (quod post demonstrabitur) multo magis manere posse, & verò etiam debere qualitates eadem, sine quibus formæ non subsistunt. Neque aliam illi ob causam qualitatum mutationem affirmarunt, nisi quod formarum interitum posuissent.

Num eadē elementorum mistorum qualitates.

Itaque multo minus audiendi sunt Scotus, Gregorius Ariminensis, Conciliator, Thomas de Garbo, Vgo Senensis, Iacobus Proluensis, & quotquot persuadere nobis conati sunt, ex quatuor elementorum qualitatum, vbi ad temperiem quandam agendo & patiēdo venerint, pereuntibus simplicem aliam qualitatem secundam ab illis omnibus diuersam produci, quæ & illis melior sit, & eas omnes virtute continent, sitque misti corporis propria, quemadmodū ille simplicium elementorum fuerunt. Quæ Auicenna quoque in prime sen. 1. can. doct. 3. cap. 1. & lib. 12. de animalibus cap. 2. videtur fuisse sententiā. Neque tot ego productiones & interitus nouarum entitatum sine necessitate libetè audio: neque video à quonam aut producantur, aut corrumpantur: ea præsertim, quæ cæteris agēdo superior est. Aut quorsum tandiu tamque studiosè temperatæ fuerint omnes & conciliatæ, si subito debuerint extingui? Immo dum sensum consulo totius huius controuersiæ, in qua de sensilibz qualitatum disputatur, optimum ducem, is cām eodem modo, quo prius, licet minus vehementer, afficiatur, eandem profors, sed fractiores, & cum contrarijs permixtas, qualitates esse renuntiat.

Misti temperata quid.

Tantum abest, vt id, quod alij cogitarunt, verum esse confirmet, duas nouas qualitates produci, alteram inter calorem & frigus mediam, alteram inter humorem & siccitatem. Accedit, quod si quatuor illis qualitatum interemptis, vna vel duplex succederet qualitas, nulla in corporibus nostris contrarietas esset, nulla qualitatum repugnantia, quæ crebra per ætates singulas temperaturæ mutationis plurimorumque morborum ac mortis tandem est causa. Sæpè nāque harum qualitatum aliqua mutata corporis temperies mutatur, primāque ætas calida fit & humida, altera calida & sicca, postremāque frigida & sicca. Sepissi-

mè etiam earum aliqua plus æquo intensa nostris corporibus morbos, & si modum profus excedat, vltimum adfert intentum. Quam ob causam dissolutionis & interitus principium in nobis esse Philosophi omnes confirmant. Maneat igitur easdem numero qualitates elementorum remanere, mistorumque corporum temperaturam nõ vnã aliquam simplicem qualitatem significare, sed illarum quatuor temperatarum complexam: vnde & complexiois & temperiei seu temperamenti deriuatæ sunt voces.

Quod enim aduersus Aueroem aut Aristotelem potius Ioannes Femelius contendit in lib. de temperamentis cap. 2. quatuor illas qualitates nequaquam frangi, sed perfectas & ad summum intensas in temperamento esse quemadmodum in elementis puris insidebant; tantopere tamen cõfusas atque permixtas, vt magna visum parte amissa debilitatæ iudicentur: Comentitium profus est & vanum: veterumque illorum Philosophorum, contra quos Aristoteles disputauit, potius quam Philosophi aut etiam Galeni vel Hippocratis, sententias sapit. Poterant enim illi quidem ita de qualitatibus harum permixtionum loqui, qui solam elementorum in partes minimas diuisionem & earum iuxta positionem assererebant. At qui magis, quam illi, sapit, atque intelligit permixtionem totam agendo & patiendi fieri, neque posse cõtrarias & pugnantes qualitates conuenire, quin statim agant & patiantur, hoc est corrumpant, & corrumpantur; intelligit item nõ integras, sed fractas & dimidiatas qualitates temperari. Fieri enim nullo modo potest, vt duo cõtraria summa in eadem materia eodem tempore suscipiantur & conferuentur, quin sibi vicilim interitum machinentur seseque ex illo subiecto pellant. Sed neque formæ que elementorum substantiam constituunt, aliam ob causam mutantur suasque excellentias amittunt; quam propter cõtrariarum qualitatum repugnantiam acremque earum conflictum. Multo igitur magis cõtrarias ipsas qualitates mutilari ac summatibus truncari necesse est, si substantiarum mutilationis ipsæ sunt causæ. Ergo vt ex castigatis & permixtis elementorum substantiis illud efficitur medium & commune, quod mistum appellatur; sic ex qualitatibus temperatis atque ad mediocritatem refractis qualitas illa existit, quæ temperatura seu misti complexio dicitur: optima scilicet admixti formam dispositio; quemadmodum duarum principum qualitatum simplex cõiugatio ad simplicis elementum formam dispositio est. Ita elementarium formatum vnio est substantialis mistio, & qualitatum conciliatio propria voce temperatio seu complexio nominatur: tametsi interpres Philoponi in commentario ad textum 82. libri prioris de ortu & interitu temperationis nomen ampliori vsurpauerit acceptione ad substantiarum quoque mistionem significandam. Denique ordine optimo ita disponuntur omnia in natura: dum prima illa informis materia cum duplici solum summa qualitate simplicium formarum subiectum est; Horumque simplicium corporum substantiæ quidem permixtæ materiam præbent & subiectum mistorum corporum formis; quatuor autem qualitatum temperatura est accidentaria illius materie præparatio; ac demum hæc ipsa permixta temperatæque corpora supremæ omnium animatæ formæ mat-

Qualitates in
mitione refra-
g.

Pena materia
ad vanas for-
mas dispositio.

ria euadunt. Sed quod nunc agimus, illud est, vt misti temperaturam intelligamus simplicem vnã qualitatem secundam ex principibus quatuor resultantem non esse, sed coniunctionem & complexum illarum temperatarum: quemadmodum & certa nobis ratio persuasit, & Philosophi testimonio confirmatur. Etenim is non solum substantialem mistionem definiuit alteratorum elementorum vnionem, quod de accidentaria quoque qualitatum temperatione intelligi voluit: verum etiam in tota illa tractatione, qua diligenter & accuratè mistionis vtriusque naturam tradidit, vtramque fieri docuit, corruptis duntaxat summatibus & excellentijs elementorum reliquisque partibus permixtis. Et in cap. 2. lib. 4. Meteorum hanc esse voluit mistorum putredinis causam, quod intus eorum calor ab exteriori robustior factus corrumpat humidum temperationemque soluat. Et in tex. 123. 124. & 143. lib. 2. de anima eam exposuit, cur sensus patiatur nimium atque à vehementi corrumpatur obiecto; quoniam is in quadam proportionem atque harum qualitatum temperie consistit, quæ à vehementiori obiecto dissoluitur: plantasque propterea non sentire affirmavit, quod minus, quam par sit, qualitatibus hæc temperatæ sunt.

Magnopere tamen intelligendum est, proportionem hanc & temperaturam qualitatum nequaquam ita in impartibili positam esse, vt si vel minimum ab ea recesserit qualitas quæpiam, mistum protinus dissoluatur. Habet enim latitudinem quandam in vnaquaque misti corporis specie, intra quam vagari licet, & modò hanc, modò illam qualitatem paulò robustiorem facere: totius tamen latitudinis certi sunt fines, quos vltra citràque nequit consistere mistum. Itaque in summa mediocritate ac proportionem summa misti perfectio agnoscitur, optimaque animati corporis habitudo. Ab ea si deflecteris, morbos primum, deinde mortem viuentibus corporibus adduces: quodque his sunt & morbus & mors hoc ipsum inanimis sunt impuritas & vltima dissolutio.

Iam verò si in alteratricibus qualitatibus ita res habet; affirmare quoque licet, eas, quæ motrices sunt, grauitatem, & leuitatem eadem in mistis numero remanere: factas tamen & debilitatas? tum admixtione qualitatis oppositæ cõtrariarum elementorum; tum mutilatione formarum substantialium & qualitatum principum, ex quibus illæ originem habent. Remanent tamen, quia illarum principia & causæ remanent: & idè ab elemento dominante mouentur omnia mista. Eadem est densitatis & raritatis ratio. Ita concludi potest, tum substantias, tum qualitates omnes elementorum temperatas in mistis remanere: atque in hoc perfectam mistionis vim consistere.

Quemadmodum verò præter elementorum substantias noua producit forma misti propria: sic aliæ consequuntur qualitates secundæ, quæ ex quatuor illarum principum permixtione nascuntur: colores, odores, sapes, & aliæ id genus, quæ in primis & simplicibus corporibus nequaquam insunt. Atque hinc item herbarum lapidumque virtutes existunt, aliæque eiusmodi facultates mistorum, quas tantopere admittantur multi: neque ego dubito esse velut mistorum inanimatorum corporum proprietates, quæ ex for-

Temperatura
quid.

Temperatura
latitudo.

Morbi & mors
vnde.

Eadem qualitates
motrices.

Qualitates secundæ.

Herbarum & lapidum virtutes.

ma, qua illorum substantia constituitur, ope tamen temperationis primarum qualitarum oriantur.

DE MVLTIPlici TEMPERATIONUM genere.

CAPVT II.



Vm igitur quatuor haece principes omnes qualitates ad mediocritatem mutuaque proportionem reduci oportet: refert quidem Galenus in 1. de temperationis libro cap. 2. medicorum quorundam disputationem: quorum alij duo duntaxat, calidum & sicum, humidum & frigidum, temperamenta admittebant: alij quatuor omnino esse contendebant, quemadmodum quatuor sunt qualitarum coniugationes. Sed vniuersè primum loquendo duplicem ferè temperaturam communis schola distinguit: vt videre est apud eundem Galenum, & Auicennam in 1. fen. p. Car. doct. 3. cap. 3. aliosque complures. In altera qualitarum gradus absolute considerantur, nulla re alia spectata: & praesertim subiecto, in quo temperatio ea insit. Haec temperata ponderis temperaturam nominatur ab illis à philosophis temperatio aequalis arithmetica proportionem. Totidem enim continet singularum qualitarum gradus tantundemque elementorum omnium. Altera consideratur comparatione formarum diuersorum mistorum atque operationum, quae singularum naturae conueniunt. Eamque intemperatam temperaturam seu temperationem ad iustitiam appellant: à philosophis aequalis dicitur geometrica proportionem.

Temperatura duplex.

Iustitia duplex.

An duplex ponderis temperatura.

Temperatura inaequalis duplex.

Novem temperationum genera.

Sed quoniam, vt in 5. Moralium lib. docetur, duplex iustitia est: vna in rerum permutatione versatur, altera in praemiorum ac poenarum distributione: ac prior quidem rerum aequalitatem seruat, posterior autem cuiusque merita aut demerita spectat: eorumque habita, vt par est, ratione, singulis praemia decernit aut supplicia: totum illud posterius temperationis genus in hac posteriori distribuentis iustitiae parte accipitur: qua pro singularum mistorum exigentia siue maioribus aut minoribus meritis, alio atque alio dignitatis ac nobilitatis gradu, qualitates eae singulis tribuuntur. Quamquam dum priorem illam temperationem, quae ponderis dicitur, in duas rursus partiuntur medici: quarum altera aequalis prorsus sit qualitarum omnium gradibus, altera inaequalitatem quandam habeat & vnius aut plurium qualitarum excessum: parum sapienter agere mihi videntur. Quoniam posterior haec temperatio, si ad formam & operationem referatur, iustitiae potius est, quam ponderis: neque ibi potest ponderis & arithmeticae proportionis aequalitas, vbi graduum & intensiois qualitarum inaequalitas admittitur. Ea igitur, quae inaequalis est, duplex esse potest: aut simplex, si vnica crescat qualitas, reliquae sint aequales: aut coniugata, si duae superent qualitates.

Itaque si omnia colligantur, nouem omnino, erunt temperationis genera: quatuor simplicia quemadmodum sunt quatuor qualitates, qua-

rum vna potest aliarum mensuram excedere: & totidem coniugata seu composita. Quatuor enim sunt qualitarum earum coniugationes, quarum aliqua vna praecellat ceteris. Et calor quidem ac siccitatis excessus cholericam & igneam temperationem facit: humoris & caloris sanguineam & aëream: frigoris & humoris phlegmaticam & aqueam: siccitatis ac frigoris melancholicam & terream. Et quatuor simplicia genera simplicibus quatuor qualitatibus respondent: quatuor autè composita quatuor elementis: omniaque intemperata vocatur: quoniam aut vna aut pluribus qualitatibus reliquarum modum excedunt. His additur nonum, quod ponderis est ac temperatissimum esse existimatur: propterea quod nulla in eo qualitas alteri dominetur, sed omnes planè sint aequales.

An illa sint temperata simplicia.

Ceterum Auerroes in comm. 7. in primum librum de Caelo, & comm. 48. in posteriorem de ortu & interitu & comment. 10. in 4. Meteorum, & comment. 23. in 10. Metaph. & in 2. lib. colligit cap. 1. & ultimo, & in 1. Canticorum comment. 19. duo reprehendit in hac medicorum sententia. Primum quatuor simplicium temperaturarum genera negat, solaque coniugata admittit: hoc praecipue argumento, quod vnaquaeque qualitas actua, quae est loco formae, passiuam alteram habere debeat sociam & aequalem, tantquam materiam. Et mihi quidem certè non parum suspecta sunt neque, quod sciam, in vilo adhuc satis obseruata fuerunt. Ferè namque ita fit, vt patientes qualitates comitentur eas, quae agentes sunt: & caloris, frigorisque excessus, humoris item aut siccitatis excessum adducat. Non tamen propterea omnino respuo. Tum quia cum patientes qualitates minorem agendi vim habeant, quam eae, quae agentes dicuntur: dum harum altera superat, fieri potest, vt aequalitatem illae retineant. Tum quia agentium alterutra potest cum alterutra patientium consistere: vt calor cum humore in aëre, cum siccitate in igne, & frigus cum humore in aqua, cum siccitate in terra: quare cum naturam habeat ad alterutram quodammodo indifferentem: & si eae, quae patientes sunt, debilitentur: necessarium tamen non videtur eas quoque minui, aut contra, dum eae augentur, simul illas augeri. Itaque & si patientes fuerint aequales, inaequales tamen agentes esse poterunt: aut haec aequales, vbi inaequales illae fuerint. At quoniam maxima est inter illas coniunctio: ferè fit, vt inaequalitas omnis ex duplici qualitate sit composita.

Alterum quod non admittit Auerroes est, inter coniugatas temperationes ea, quae ponderis esse dicitur: de qua multo maior est non inter philosophos modo, sed & inter medicos disceptatio.

NON NVLLA POSSIT ESSE temperatio prorsus aequalis.

CAPVT III.



Vm Galenus temperationem ponderis omni ex parte aequalem nominauit, non solum non admittit Auerroes, sed nullam prorsus esse posse iudicauit Auicenna, subscripteruntque Algazel & Iuritanus in commentario 15. in 1. artis paruae Galeni, & Conciliator

Prima opinio.

Conciliator differ. 18. & Vgo Senensis in 1. fen. Auicenna, & Magnus Albertus tract. 1. lib. 1. de celo cap. 3. & tract. 6. lib. 1. de ortu & interitu cap. 9. alijque plures. Argumentatur enim Auerroes. Primum; si vllum esset huiusmodi corpus, moueri planè non posset; sed in quocunque loco poneretur, siue supèro, siue infero, siue intermedio; vbique quiesceret. Omnis namque motus corporis misti ab elemento ceteris dominante fieri debet: alioqui non est à quo in vnam potius partem, quàm in aliam moueatur. Deinde si aequalibus profus viribus concurrant elementa contraria, nulla fuerit actio, nulla mistio: sed vt vicissim agant, impares esse oportet vires, & dominantem aliquam, cui productio formæ attribuat, ne tamen vnus fiat interitus & alterius ortus, sed mistum quidpiam existat; inter eas necesse est proportio quædam sit. Postremò mista omnia firma esse debent optimèque compacta, & idè abundare terra & aqua.

2. Nihilominus in alteratricibus qualitatibus ali-quod fieri eiusmodi mistum posse, cõtendit Thomas de Garbo quæst. 5. Medicinalis summæ: immò & in alteratricibus simul & motricibus Iacobus Foroliuensis quæst. 6. in 1. fen. tametsi corpus illud minimè naturalem & conuenientem dispositionem haberet. Denique Marsilius & Albertus Saxo in quæstionibus, quas de hac re in posterio-rem de ortu & interitu librum scripserunt, in alterutro, non in vtròque simul, qualitatim genere.

Authoris sententia.

- Ego verò de hac tota controuersia ita statuo. Principio existimo nullum fieri mistum posse, in quo æqualis elementorum omnium existat quantitas; sed maiorem terræ & eorum, quæ minùs agunt, debere esse molè. Alioqui ea, quæ ad agendum sunt robustiora, imbecilliora cætera omnino corrumpent; atque in tuam naturam commutarent: neque vllum fieret mistum, sed simplicis vnus corporis ortus & alterius interitus. In motricibus autem qualitatibus nullum quidem esse in natura puro mistum profus æquale: quoniam ipsa, cum deorsum omnia moueantur & in grauibus elementis viuunt, aqua, & terra, vt est in tex. 49. posterioris libri de ortu & interitu, sanè in omnibus abundat grauitas. Fieri tamen ali-quod; me quidem iudice; non est ex eorum numero, quæ *aduiant* nominantur. Si enim aut maior grauitas elementorum grauium ita cum leuibus pugnet, vt ab exteriori quopiam leuium operatio iuuetur; aut quoniam leuia calorem habent, qui magis ad agendum valet; ea sit inter illa proportio, vt plures substantiarum & alterantium qualitatium gradus pereant in grauibus, quàm in leuibus elementis; motrix qualitas, quæ substantiæ formam & alteratrices qualitates consequitur, æqualis esse poterit in vtrisque cum tantundem grauitates in maiori grauium elementorum quantitate esse possit, quantum est in leuibus leuitatis, quæ formam habeant & alteratrices qualitates magis intensas.

Porro hoc mistum aut nullo modo sua natura moueretur loco, nisi ab exteriori aliqua iuuaretur causa, maiori scilicet pondere aut leuitate addita, quæ grauitatem interiorum vel leuitatem ad impellendum deorsum vel sursum opposita qualitate superata iuuaret. Quod nequaquam videre debet mirum; cum ne reliquorum quidem misto-

rum inanimatorum formæ vllius motus localis principium sint, sed ab elemento dominante moueantur omnia: quædam autem habeat alias meliores ac prestantiores operationes, quæ ab illius quòque misti forma oriuntur. Aut loco quòque moueretur. Quoniam si in ignis regione poneretur, deorsum a tribus reliquis elementis traheretur: si in aère, traheretur a duobus, igne duntaxat resistente; siquidem nec aër nec elementum vllum in proprio loco mouetur aut mouet, sed quiescit vnum quòdque; maiorque est impetus elementaris naturæ, quæ extra suum locum reperitur, quàm sit conatus naturalem locum retinendi. Eandem ob causam ex terra & aqua sursum ascenderet; naturalèque quietis locum ita in medio elementorum occuparet, vt partim in aère esset partim in aqua. Aut demum deorsum potius, quàm sursum, impelleretur. Tum quia cum maiorem grauium elementorum molem contineret, in eorum potius loco esse vellet. Tum quia grauitas efficacior est ad agendum, quàm leuitas, etsi æquales sint vtriusque qualitatis gradus. Et de motricibus quædam qualitatibus hæc affirmo.

De alteratricibus autem duo planè contendo. 4. Alterum; in mistis inanimis motionem eam fieri posse. Homogeneam enim & sui vbique similem naturam habent; neque organorum aut dispositionum diuersitate indigent. Et quamuis in æquales initio oporteat quantitates esse; vt inter eas oriat pugna: fieri tamen potest, vt quæ inæquales ante motionem fuerunt, tandiu vicissim agant & patiantur, vt æquali tandem concordia componantur. Cum elementa præsertim, quæ minore agendi vim habent, maiorem adiciant ad motionem corporis molem, qua virium imbecillitatem compensant: & aliunde etiam interdum ab exteriori quopiam iuuari possunt. Non esset tamen hoc mistu sua natura incorruptibile: quoniam contrarijs & repugnantibus principijs cõstaret, quæ cum graduum æqualitate inæqualem agendi vim habent; & apta sunt interitum illi adferre, reque ipsa adferrent: si præsertim eorum aliquod excitatum aliunde atque adiutum maiore impetu aduersus contrarium suum insurgeret.

Alterum; in mistis, quæ vitam quoque habent & animam, insitam quidem temperationem eiusmodi esse non posse, vt sit prioris æqualis, propter maximam nimirum organorum & partium diuersitatem, atque ad eò operationum, quas exequi debeat. Hæc enim omnia diuersitatem magnam, varietatem, & inæqualitatem temperationum postulant. Aduentitiã tamen in aliqua fortasse parte æqualem fore: quoniam qualitas, quæ ex insita temperatione exilit est aut robustior, potest ab aduentitiã ita augeri aut minui vt æqualis euadat. Hanc in tactus subiecto fortasse reperias; atque in interiori manus cute seu extremorum digitorum: temperatissimi hominis quæ fuit Galenus. Cæterum vniuersa corporis partes nequaquam ad æqualitatem hæc adducuntur. Et enim per multas sunt, quæ functiones suas non exercerent: & cor quidem abundare oportet calore, cerebrũ autem frigore, siccitate ossa, alia alia aliqua qualitate. Quod si animal vniuersum, non vnaquæque illius pars consideretur, probabile dixerim posse hanc aduentitiã seu actuatè potius temperationis interdum æqualitatem effici. Nam si pars vna calidior fuerit, altera frigoris

tantundem habeat, eodemque modo tributa
sint ceteræ qualitates: ea fiet æqualitas, qua in to-
to animali caloris, frigoris, humoris, & siccitatis
tantundem sit. Atque hæc temperatio si vlla fue-
rit, optima sanè & maximè sana fuerit: quoniam
maximam habebit contrariorum omnium qua-
litatum proportionem: maximèque ab extremis
distabit, quæ illam turbare possunt aut dissol-
uere.

Hæc si ita sunt, nullo modo querendū est mistū,
quod perfectè & omni ex parte sit æquale, tum
elementorum quantitate, tum mouentibus &
alterantibus qualitatibus, tum verò in animalibus
in sita & aduentitia temperatione: sed inter-
dum in horum fortasse aliquo. Ea que æqualitas,
quæcumque fuerit, in impartibili consistet quali-
tatum earum mediocritate, quarum æqualitas
fuerit, vt si vel minimum ab ea discesserit, non sit
amplius æqualitas ponderis, sed verè inæquali-
tas. Quam ob causam principio admonui pa-
rum scientes medicos duo distinxisse tēperatio-
nis ponderum genera; æquale alterum, alterum
inæquale. Nam si ponderis temperatio sit, æqua-
lem eam esse necesse est. Et quemadmodum in
cap. 3. lib. antea notati argumentatus est Galenus
aduersus eos, qui temperatam naturam omiserāt:
tanquā opimam substituentes eam, in qua ca-
lidum præset frigido & humidum sicco: licet &
nobis illum ipsum virgere, dum intemperatam
temperaturam nominat. Si enim temperatus sta-
tus est, neutrum alterum superare debet: sin in-
temperatus, necesse est exuperet altera opposi-
tionum pars.

Verūm hæc de temperatione vniuersè dicta
sufficiant. Iam de viuientium & maximè anima-
lium temperatione dicendum. Illudque expli-
candum in primis quod duplicem aut etiam tri-
plicem in illis temperationem, insitam, aduenti-
tiam, & actuatam nominauimus.

DE TRIPLICI VIVENTIVM
temperacione innata, aduentitia,
& actuata.

CAPVT IIII.

Vna totius cor-
poris temperatio
esse non potest.

DE viuientium igitur, & animalium ma-
ximè, temperatione dicturus, princi-
pio accipiam, non posse in toto ani-
malis corpore vnicam temperationem
esse. Quoniam partes quasdam manifestum est
durissimas esse, siccas, & frigidas; vt ossa: alias
molles & humidas, vt carnem: alias calidas, vt cor:
frigidas alias, vt cerebrum. Sanè hoc magno pe-
re differunt ab inanimis animata: quod illorum
corpora homogenea sunt & eadem vbique tem-
peratione constantia: horum autem heterogenea
esse ac diuersitatem partium habere oportuit,
quibus diuersas animæ operationes obirent. Fir-
ma quidem & solida esse debuerunt: & ideo ter-
rea, sicca & frigida. Sed vt nutrirentur, cresce-
rent, simile sibi gignerent, sentirent, & incede-
rent, necessarium fuit ea esse calida & humi-
da.

Temperatio in-
nata.

Ita factum est, vt quoniam hæc in vna & eadem
temperacione consistere non poterant, duplex ea om-
nino esset. Vna innata, altera influens & aduentitia.

A Innata tēperatio ea est, quæ singulis partibus in-
sita est, atque ex quatuor duntaxat elementorum
qualitatibus permixtis consistat. Et ideo vt antece-
dens materia dispositio ad suscipiendam animam
consideratur immediatè & equè per omnes cor-
poris partes diffusa est non eadem in omnibus,
sed alia atque alia in carne, ossè, ac cæteris, abeu-
ntèque anima multo tempore conseruatur quou-
que putrescat corpus. In ea tamen vbique abun-
dat frigus: & eum frigore in quibusdam partibus
coniungitur siccitas, vt in ossè: in alijs humor, vt
in carne. Nam vt corpus esset solidum, consis-
tens, & densum, abundare vbique oportuit ele-
menta densiora, quæ frigida sunt, atque vt diuer-
sè distinguerentur partes cum frigore aut siccitas,
aut humor coniungi debuerunt.

Temperatio in-
fluens.

B Influens verò & aduentitia temperatio, ea di-
citur, quæ ex actione nascitur vnus partis in aliã.
Neque enim hæc animam antecedit velut illius
dispositio, sed tanquā effectus potius conse-
quitur: nec tam in materia, quam in forma confi-
deratur: alioque constat meliori multo qualita-
tum genere, quam sint elementares omnes: cum
calorem, habeat vitalem, non vllius elementis,
sed ipsius animæ proprium. Etridè tum est ope-
randi principium, tum ab ea maximè pedit vita:
nec si abiicit anima, potest diutius in corpore
conseruari. Calore autem & humore potissimum
abundat, quoniam ad operandum, viuentisque
conseruationem tota comparata est. Immo nil
aliud est, quam calor ipse vitalis, quatenus in spi-
ritu fundatur & humido primigenio sustentatur.
Calore nãque & humore tota consistit vita. Quo
fit, vt in omnibus quidem partibus & corporis
membris tēperatio hæc insit: in corde tamen po-
tissimum tanquā in fonte & principio resideat:
quoniam in eo sedes est caloris & officina spiri-
tus: atque inde tum spiritus tum calor ad omnes
reliquas partes deriuatur & funditur. Itaque ma-
gnopere omnino præstat prior posterior hæc
temperatio: eamque verè dixeris esse inter eas com-
parationem, quæ est inter materiam & formam,
corpus & animam.

Temperatio a-
ctuata.

C Caterum vt ex materia & forma, corpore &
anima, coniunctum quidpiam efficitur profus
perfectum, ita ex ambabus illis copulatis tertia
existit omni ex parte absoluta totius viuientis
temperatio. In quacum semper abundet calor,
iure optimo proprium is existimatur esse ani-
mæ instrumentum. Sed quamuis ea sit vna per
totum corpus diffusa, partium tamen illam ac
membrorum diuersitatem non tollit, que viuētibus
necessaria est. Nam & in ea continetur, innata
illa temperatio, quæ in diuersis partibus diuer-
sa est: & actio influxusque vnus partis in alias nõ
est vbique æqualis; sed in propinquiores vehe-
mentior, debilior & fractior in eas, quæ magis di-
stant. Hanc enim ob causam propinquiores cor-
di partes maiorem habent calorem, quam ea,
quæ remotiores sunt.

Actuata pri-
oribus nõ distin-
guat.

Tertiam hanc temperationem actuatam medi-
ci appellarunt: sed eam credendum non est re à
duabus prioribus distinctam esse. Sicut enim con-
iunctum, quod ex materia & forma, corpore &
anima efficitur, rem nullam à partibus illis diuer-
sam significat: sic tertia hæc temperatio, quæ ex
innata per influentem actuata in corporibus nõ
stris existit, quadam duntaxat earum coniunctione
constat,

constat, ex mutua membrorum actione & reactione orta.

Illius subiecti.

Illius subiectum sunt partes omnes animatae: non inquam spiritus, non humores, multo minus pili & excrementa excrementitiae (quae enim animam non habent, nec partes viuentis sunt, nec temperationis eius, quae consequitur animam, subiectum esse queunt) sed homogeneae partes & heterogeneae. Immo cum heterogeneae nil aliud sint, quam homogenearum copulatio; primum & proprium temperationis huius subiectum solum sunt homogeneae partes; secundarium heterogeneae, quatenus ex homogeneis constant.

Partes homogeneae & operandi principium.

Vnde & illud consequens est, ut quoniam viuentis temperatio ad operationem refertur, primum operandi principium sint partes homogeneae, in quibus praecipue calor est; immo & anima, quae operatur. Caro quippe gignit carnem, & reliquae partes alias sibi similes: motusque est nervi tanquam primi principij, etsi non nisi musculo, manu, aliisque heterogenea parte exerceatur: tum quod huiusmodi operationes certam quandam postulant homogenearum partium coniunctionem: tum quod praeter temperationem determinata quapiam figura indigeant.

MEMBRORUM EVAPORATIONE
quartum temperationis genus non fieri.

CAPVT V.



Tenim cum influens temperatio, de qua haecenus dictum est, a corde potissimum per arterias & spiritum ducatur: praeter eam Gentilis interpretationem faciens illius capitis, in quo Auicenna in 1. fen. primi Can. de membrorum temperatione dissentit, aliam quandam addendam esse contendit, quae per vapores, qui nullum habent proprium vas, quo continentur, membris communicetur, non ut operentur, quemadmodum prior illa; sed ut bene & commode sint, calorque in illis foueatur. Inde enim fit, ut sinistra animalium partes calidiores, quam dextrae, esse videantur: cum tamen prior ille calor in fluxu viget magis in dextris. Deinde quaedam sunt membra, quae cum pauciorum habeant spiritum, calidiora tamen sunt, quam alia, quae spiritosa magis sunt. Musculi namque mammillis circumiecti propter cordis propinquitatem calidiores liene sunt, qui plurimas habent arterias spiritu plenas. Est ossa nervisque thoracis an non eandem ob causam magis calent, quam caro pedis aut manus? Nec tamen vllus est, qui carnem nesciat influente temperatione esse ac nervo calidiorum esse. Alium igitur esse oportet modum diffundendi calorem; indeque aliud temperationis genus existere. Sanè cum influens illa temperatio ad operandum tota referatur, nervi & musculi cordi propinqui *quae* minori multo calore, quam inde ducantur, operari possunt. Operantur quippe nervi & musculi magis distantes minusque calidi. Quod si operatio calore tanto non indiget, qui opportunus fuerit, non ab influente, sed ab aliqua alia temperatione ducendus est.

Ceterum intelligere oportet hoc loco, calo-

rem illum, qui a corde ad reliqua membra deriuatur, naturaliter & necessario deriuari; idque cum spiritu praesertim arterijs contento, aut etiam per solum contactum. Ut minime mirum sit, si quaedam partes alijs calidiores sint. Necessario enim fit, ut ea, quae cordi propinquiores sunt, pluresue habent arterias & copiosiores suscipiunt spiritum, calidiores item euadant: Ut tamen vnaqueque magis aut minus fuerit ad suscipiendum calorem apta; magis inquam aut minus tara & porosa. Sed prior ille modus diffundendi calorem per arterias generalis est & omnes corporis partes complectitur: posterior per contactum, quarundam propinquarum peculiaris & proprius. Quocirca prior ille temperationis animati corporis genus a ceteris diuersum constituitur existimatur; posterior hic nequaquam.

Rursum dum calor per arterias corpora nostra percurrit, aliquid semper agendo resoluunt in illis partibus, quas percurrit (hoc enim caloris proprium est) multasque euaporationes ad alias partes excirat. Sed instabiles ea sunt nulliusque penè momenti aut actionis. Quare cum ex illis parum aut nihil reliquae partes de suo statu & conditione dimoueantur, haudquaquam censentur nouam in corpore temperationem tacere.

Sinistras corporis partes calidiores esse, quam dextras, ego quidem minime verum esse iudico: cum dextras certum sit magis viuaces esse atque ad operationes omnes promptas & robustas. Aristoteles vero sinistras frigidiores esse significauit, cum in cap. 4. lib. 3. de partibus, cor scripsit aliquantulum inferiori parte ad sinistras declinare, ut earum frigus moderetur, & compenset. Ita enim fit, ut inferioris illius partis contactu, in qua maxime viget calor, propinquiores partes magis calefaciat. At ad vniuersas partes dextras copiosorem spiritum & sanguinem mittit. Atque ex his etiam intelligitur, qui fiat, ut quaequam corporis pars calidior interdum sit, quam alia, quae maiorem deberet habere calorem. Facit id cordis propinquitas, quod non solum per arterias & constituta vasa mittendo spiritum; sed solo etiam contactu calefacit. Deinde euaporatio quoque reliquarum partium propinquarum, dum eas calor in arterijs percurrit. Et quamuis tam vehemens calor non sit fortasse ad operandum necessarius, ex cordis tamen necessario agentis propinquitate necessario fit: neque inutilis est, sed promptiorem ac faciliorem reddit operationem.

Ut calor a corde diffundatur.

An sinistra an dextra partes calidiores.

QUATENUS DIVERSAE
corporis partes vicissim agant & patiuntur.

CAPVT VI.



Am verò propria singularum partium, temperatio quae sit, tum tactu & experientia cognoscimus, tum ratiocinando confirmamus. Iudicium tactus hac in re magnopere commendauit Galenus in 2. de temperamentis libro; eoque Aristoteles usus est in 2. de partibus animalium cap. 7. ut cerebri frigus demonstraret. Et quilibet facile ostendat sanguinem & spiritum esse calidos, ossa dura, frigida, & sicca; carnem mollem, humidam, & frigidam.

Ut temperatio cognoscatur.

dam. Experientia verò adipem cerebro humidiorē esse cognoscimus, quia liquefcit. Cerebrum tamen aqueum & terreum; quoniam caloris actione resoluitur, partēque aquea euaporante, subfider ea quae magis terrea est. Pilos ossibus siciores esse: nam distillando humorem quempiam & succū eduximus ex ossibus, nullum ex pilis. At si ratio accesserit, certior omnino fiet & absolutior nostra cognitio. Cum enim calor per sanguinem maximē & spiritū diffundatur à corde: quae mēbra cordi fuerint propinquiora plures spiritus & sanguinis habuerint, ceteris calidiora esse certissimē concludentur. Iecur membrum est perquam calidum: tum propter cordis propinquitatem & arterias ab eo susceptas, ob quas vltra naturalem habitum incalescit, tum quod sanguineum profus est, atque in eo propter caloris vim prima existit sanguinis officina. Contra cerebrum frigidissimum est: nam & plurimum distat à fonte caloris, & ferè sanguinis expers est. Ita propemodum partium omnium ac membrorum naturam & temperationem optimē assequemur. Eritque quod diuersitatem plurimā admiremur cum magna contrarietate coniunctam in summa pace ac tranquillitate viuere atque in totius viuētis bonum & salutem conspirasse.

An partes vicissim agant.

Propterea iure optimo dubitari potest, an cum ea naturarum diuersitate, qualitatumque contrarietate, coniuncta sit pugna actioque & passio inter vnius & eiusdem corporis partes. Hostiles enim & pugnaces qualitates nequaquam videtur posse in pace & quiete degere. Quod si inter eas perpetua sit pugna, minus benè animalium vitae prouisum fuerit: illaeque ipsae partes, quae salutis & vitae causa esse debuissent; extremam perniciem & mortem adducunt.

Gentilis opinio.

Nisi Gentilis loco antea indicato, & in tractatu, quem ipse de resistentijs propterea promulgauit, id vocasset in dubium, quod non solum suadet ratio, sed vel ipso sensu constare videtur: perfacilis esset dubitationis huius explicatio. Sed exillimauit ille corporis nostri membra nequaquam vicissim agere posituē, re ipsa corrumpendo qualitatem alterius & aliam in eo producendo; sed priuatiuē duntaxat, prohibendo, ne qualitas alia accedat. Non inquam cerebrum agere in cor, membrum illud refrigerando; sed prohibendo ne nimio actu inflammetur: quam actionem comparatiuam is appellauit. Si namque positua esset inter membra actio, perperam fuissent illa in ortu primo temperata. Siquidem vt deinceps viuere & conseruari possint, opus sit actione alterius membri retardante meliorem modo primigeniam illam constitutionem temperante. In eo etiam parū sapienter egisset natura; si & eam qualitatem inferuisset membris, quam quod nimia sit & vitæ noxia retundi mox & minui oporteat: & eam agendi vim illis posuisset, quae prorsus sit superuacanea. Aut enim dum ita agunt & patiuntur, reducuntur vnquam ad debitam & cōuenientem illis temperiem; aut nunquam. Si reducuntur aliquando; an non consultius fuisset ea primū ita temperata produci? Sin autem nullo vnquam tempore ad eam perducantur; frustra nimirum ac temerè agunt, cum actionis finem non assequantur. Alias quasdam propositiones ad hanc sententiam persuadendam adfert Gentilis: sed ea aut

A leuiores sunt nec difficultatem vllam continent, aut non maioris momenti, quam ea quas ipse proposui.

Aristoteles opinio.

Aristoteles autem pluribus in locis apertis verbis affirmat, mutuum esse positiuam, & contrariam actionem & passionem inter haec membra: quorum vnum, quod maiorem calorem habeat, calefaciat aliud quod frigidius sit atque ab eo vicissim refrigeretur. Sic enim cerebrum frigidum dixit aduersus cordis sedem & calorem à natura fuisse positum, vt illius calorem mitigaret ab eoque vicissim caleficeret. Et idē tum in solis sanguine præditis, hoc est calidioribus animalibus cerebrum proprie reperi, in ceteris animalibus: tum in ijs à corde ad cerebrum calefaciendum venas & arterias ascendere.

B Aduersus Gentilem acriter disputauit Thomas de Garbo quaest. 33. medicinalis summa: multaque modis ostēdit veram & positiuam actionem. Quod mihi quidem certè tum naturali ratione, tum sensuum iudicio facilè demonstrari videtur. Corporis enim nostri membra non vnam & eandem omnia, sed aliam atque aliam temperationē habent, contrarijsque & pugnacibus qualitatibus instructa sunt. At naturalium agentium vis colliberi non potest, quominus si coniuncta sint & proxima, vt sunt membra nostra, quam vehementissimè agat omnemque suam vim in hostilem exeret qualitatem, hoc est inimicam formant quam maximè potest extinguat: & sibi similem in membri possessionem introducat. Deinde naturalis & infra temperies cerebri, carnis vniuersae, venarum, arteriarum, cartilaginum: an non frigida est, ossisque & nervi sicca? In animali enim mortuo ita de his omnibus indicat sensus. At idē ipse quandiu animal viuit, has omnes partes calidas esse cognoscit, ossaque, & nervos humida. Ab alijs igitur membris calefiunt & humectantur. Et cor non ne caloris fons & velut calidissimum membrum non ne eum per vniuersum corpus diffundit omnetque partes calefaciat. Spiritus & sanguis in arterijs venisque contentus non ne illas calidiores facit? An non caro humida humectat ossa & nervos cutimque, quibus incumbit? Et ventriculo non benè affecto suoque munere minus perfectè fungente, oculis suffusiones accidunt, vt in 4. lib. de locis affectis cap. 1. multis ratio cinatur Galenus. Denique non ne vapores calidi ex reliquo corpore ascendentes ad caput, cerebrum calefaciunt: moxque ab eo refrigerati & in humore pituitosum mutati, dum per inferiores partes desiliunt, vniuersum corpus refrigerant?

Veram et positiuam actionem esse.

E Aristotelis autem sententiam illam de cerebri actione in cor calorisque temperatione vehementer Galenus reprehendit in 8. lib. de vfu partium cap. 2. & 3. Primum enim si calorem cordis cerebrum temperare natura voluisset, non tam procul illud à corde collocaisset: sed aut cordi circumdedisset, quemadmodum pulmones; aut in thorace saltem posuisset. Neque duo illa tam densa crassaque ossa velut sepe inter vtrumque membrum interiecisset; quorum alterum est cranium, alterum thorax; illud cerebrum vndique continens, hic cor. Non etiam inter illa iniecisset collum; idque in calidissimis animalibus, quae maiori egebant refrigeratione; & in quibusdam, tum quadrupedibus, tum volatilibus, omnino prolongum

An cerebrum calorem cordis temperet.

habent: & homini inter omnia, vt calidissimusest
& ad cognoscendū atq; intelligendū natus, maxi-
mum & frigidissimum datum est, quo tum copio-
sorem spirituum cōtineret, tum cum optimē tem-
peraret.

Vidit etiam oculatissimus philosophus, siquid in-
nato frigore agere per se valeant membra; illud
esse solum resistere actioni & alterius calidioris
membri calori, vt temperatior fiat. Cerebrumq;
frigidum sapienter pronuntiauit factum fuisse &
ibi positum, vt cum calor sursum semper mouea-
tur, maximē posset nimio cordis calori, quo in re-
liqua membra grassabatur, se se opponere, calo-
remque illum mitigando moderatam magis &
mitem actionem reddere, totius corporis inco-
lumenta imago opportunam.

*Actio mem-
brum qualis.*

Quæ si ita sunt, inania primū sunt argumen-
ta Galeni, quibus Aristotelis sententiam infirma-
re conatus est: totaque illa confutatio calumnio-
sa est. Deinde duo profus intelliguntur. Alter-
rum; actionem omnem membrorum inter se vic-
icissim per qualitates principes alterantes, esse per
se calcfactionem duntaxat. Abundant enim calo-
re omnia, quoad integram & actuatam tempera-
tionem; nec vicissim agunt, nisi quatenus vnum
est altero calidius; etsi quandam in actione illa
resistentiam habeant. Alterum; actionem hanc
membrorum in tota vita perennem esse & con-
tinuatam; sed cum optima semper membrorum
dispositione vniuersique corporis sanitate. Ma-
gna namque omnino est sanitatis latitudo, vt in
corpore toto, sic in membris singulis: neque in
impartibili, sed in magna quadam extensione eor-
um inter se proportio consistit: in qua possunt
membra alijs atque alijs qualitatibus affecta sese
vicissim alterare; non solum absque agrotatione
vlla, immo cum optima semper habitudine.
Constat corpora nostra nō in eodem semper sta-
tu versari, sed intra certos & constitutos limites
diuersis modis, sine lapsu tamē in agrotationem,
mutari. Licet etiam ex morbo ea conijcere, quæ
in sanitate eueniunt. Fit autem per lapsum, vt ob
vnus membri lapsum in qualitatem quamquam
inficiantur paulatim cætera. Quidni ergo eadem
hæc membrorum actio in latitudine sanitatis fieri
possit? Certè conseruari nequeunt membra, nec
eorum vita consistere, nisi iuuentur aliunde cordis
que calore foueantur.

*Duplex mem-
brorum actio.*

Quo circa duplex omnino inter membra distin-
guenda est actio. Quarum altera sine temperatio-
nis mutatione, sed continuo duntaxat caloris fo-
mento consistit. Altera temperationis mutatio-
nem adducit. Prior ortum habet à corde & ad re-
liqua omnia pertinet membra, nec vnquam in tota
vita intermittitur: immo si vel minimū inter-
mitteretur, periret vita, calore debilitato atq; ex-
tincto. Posterior inter qualibet membra esse po-
test, sapèque etiam ab externis proficiscitur cau-
sis. Ita Gentilis argumentationibus satisfactum
opinor.

HUMANAM TEMPERATIONEM
esse omnium perfectissimam.

CAPVT VII.

Hominem potè, de quo potissimū
dicendum mihi proposui, perfectissi-
ma omnium temperatione præditum
esse, consentiunt tum Galenus in 1. de
temperamentis lib. cap. 6. & 9. & Auicenna in 1.
fen. 1. Can. doct. 3. tum cæteri omnes. Et rationem
quasi exponens idem ipse Galenus in cap. 11. lib.

*Cur hominis
corpus perfe-
ctissime tempe-
ratum.*

13. de viū partium; Quemadmodum, inquit, si-
mia, quod animam habeat ridiculam, corpus ob
id habuit ridiculum; ita homo, quod animam ha-
beret rationalem, ob id etiam corpus solum inter
ea, quæ sunt super terram, habuit diuinum atque
optimē ad animæ facultatem comparatum. Et Ale-
xander in 1. lib. de anima cap. de olfactu, tum hoc
ipso vsus est argumento; tum altero illo, quod
homo propterea exquisitissimum inter animalia
omnia tactum habet; quod temperatissimum ha-
beat corpus. Quibus si addatur id, quod de vinculo
& similitudine animæ & corporis philosophus
prodidit in cap. 7. suæ physiognomiae, planus in-
tellegetur, summo prius Deum consilio præ-
stantissimam omnium animæ perfectissimamque ope-
raturæ modo corpus optimē omnium dispositū
tribuisse. Nam etsi homo in quibusdam actioni-
bus ab alijs nonnullis fortasse animalibus super-
etur: si tamen omnes simul cōsiderentur, quis cum
non videat tum multitudine, tum præstantia
omnibus anteire? Vel vnā sumas intellectio-
nem (quæ est corporea operatio non est, corpo-
reorum tamen sensuum ac phantasie præsertim
opera vitur) eam omnium præstabiliissimam in
solo omnium animalium homine esse videbis. Si
tēperatio igitur ad operationem referatur, opti-
mam omnium & perfectissimam esse humanam
oportuit. At non ad operandum modò referenda
est: sed multò magis ad formam, quæ operandi
principium est & finis: vt per eam scilicet forma
& conseruari possit & suæ naturæ conuenienter
in corpore operari. Atque ex hoc ipso capite diui-
nissima hominis forma perfectissimè tēperatum
corpus à supremo opifice Deo administratæque na-
tura obtinuit.

Itaque si de vniuerso genere disputetur, tota tē-
perationis perfectio ex perfectione formæ pēsan-
da est; eaq; iudicanda in singulis animalium specie-
bus perfectio esse, quæ perfectio ris est formæ &
cum qua esse & operari perfectior natura potest.
Quod si de speciebus singulis dicendum sit; sta-
tuendum erit, illam esse in ea specie perfectiorē,
quæ illius speciei formæ magis conueniat, pro-
piusque ad perfectissimam, quæ in ea specie esse
potest, accedat. Quod à posteriori & ex operatio-
nibus colligere oportebit: eamque perfectissi-
mam affirmare, cum qua operationes omnes il-
lius formæ quàm optimē perficiuntur. Et quo-
niam vt in genere vniuerso, sic in speciebus sin-
gulis latitudo quadam est; illius medium, si de
temperatione innata sermo sit, perfectissimum
ferè existimabitur, tanquam ab extremis aequè ac
maximè remotum.

Certè

Certè in animalium genere medium est homo, eiusque temperatio & in tota animalium temperatione est media & omnium perfectissima. Eandemque ob causam in vnaquaque specie optimè se habebit illud animal, quod medium temperationis totius speciei fuerit consecutum: quod *Wapans*, hoc est temperatum, seu *Wepores*, id est, bene carnosum appellarunt Græci: quod neque crassum sit neque gracile, neque calidum neque frigidum; neque humidum neque siccum, neque alio modo excedens: sed inter hæc omnia prorsus temperatum, aut absolutè, aut per comparationem ad aliud, quod ad alterum extremorum magis declinet. Denique in vno & eodem corpore vt sunt diuersæ diuersarum partium temperationes, ita in illis omnibus latitudo quædam intelligenda est: cæque pars, quæ medium tenuerit omnium, erit temperatissima. Humanam cutim, & eam præsertim, quæ in interiori est manus parte, solet Galenus omnium partium temperatissimam & idèò optimum tangendi organum appellare. Quare hominis quidem temperationem temperationum cæterorum animalium, cutim autem temperationum reliquarum partium dixerit esse veluti regulam & mensuram: vt apud veteres statuarios fuit illa Polycleti statua, summa partium omnium proportione constans; quam propterea canonem appellarunt. Inde etiam humanæ carnis mollitudo; quæ sine dubio propter optimam temperationem omnium delicatissima & maximo sensu prædita est. Vt dum singula quoque speciei huius indiuidua considerantur, verissimè esse deprehendatur Aristotelicum illud in tex. 94. lib. 2. de anima, homines eos ingenio magis valeatque ad omnes animæ functiones promptiores esse, qui carne molliore sunt.

Optima temperatio q. a.

Humana cutis.

Temperatiõis regula q. a.

Polycleti statua.

HOMINEM ESSE ANIMAL omnium calidissimum.

CAPVT VIII.

Hæc quidem de innata temperatione, quæ ex elementorum permitione nascitur, dicta sunt. Quod enim ad influentem & actuatam attinet, quæ cõsequitur anima, cum in omni actione sua magnopere anima calore vtatur; actionum multitudo & perfectio, quæ videntur in homine, satis ostendunt, calidissimam omnium illius temperationem esse. Non elementari illo calore, qui ad corporis constitutionem pertinet; quemque temperatum magis esse, quàm in leone ac pluribus alijs animalibus, certum est: sed vitali & animæ proprio, tãquam singulari & oprimo illius instrumento. Quod ita accipiendum est, vt humanæ magnitudinis & proportionis ad animalia cætera, ratio semper habeatur; nec vna aliqua, sed omnes simul operationes accipiantur.

Hunc est, quod Philosophus cum in probl. 7. sect. 4. quaereret, cur homo plurimum seminis emittat; eam respondit esse causam, quia is animalium omnium maximè humidus & calidus sit: quorum alterum copiosam materiam suppeditat alterum illius conficiendæ & emittendæ virtutem plurimam. Et in probl. 55. sect. 10. propterea animalia cætera affirmavit sapius sumere alimentum

A siccum, quàm humidum; hominem autem contrà sapius humidum, quàm siccum: quod homo natura calidissima cum sit, maiori eget refrigeratione. Et rursum in cap. 7. lib. 1. de partibus animalium & cap. 6. lib. 3. prona cum spectant animalia cætera terram, solum hominem propterea erecta constare figura, & erectos, vt inquit ille, ad sidera tollere vultus; quia maximum habet calorem, cuius proprium est ad superiora temper mouere. Tametsi in cap. 10. lib. 4. aliam quandam illius rei rationem significauit; quod hominis natura diuina prorsus sit, intelligens & sapiens; nec intelligere & contemplari facile posset, si vasta corporis mole opprimeretur atque ad terram deiceretur. Nimum enim illud pondus tardiorum redderet mentem & communem sensum: & inter homines pueri, quàm viri: & inter viros promiliones, minùs suat ad intelligendum apti: quod superiorem corporis partem corpulentam nimis habent, nimiaque mole grauata. Iisdem porro in locis eundem hominis calorem duobus modis confirmare videtur. Tum ex plurimo sanguine, qui humano contentus corpore indicium caloris est, cum ipse quoque calidus sit. Tum ex cerebri magnitudine. Nam hominem inter omnia, sui corporis proportionem, maximum habere cerebrum, ac præsertim mares; eo argumento ostendit, quod cum cerebrum animali fuerit datum ad calorem cordis temperandum; homo, qui calidissimum habet cor, maximè indiget cerebro; maioreque mas, quàm femina, quod ille calidior sit. Denique in lib. de respiratione cap. 13. cur animalia quædam pulmones habeant, hanc tradidit esse causam; quod ea, quæ præstantiora sunt, vt nobiliorem habent animam, ita vehementiorem calorem assecuta sunt, & idèò necessaria illis refrigeratio fuit. Quid igitur homo, qui nobilissimum animal est, an non maximum omnium calorem habeat? Ita sanè Galenus quoque ratiocinatus est in 14. lib. de vsu partium cap. 6. vt hominem ostenderet animalium omnium perfectissimum esse, & inter homines marem femina perfectiorem; quod copiosiorè calorem habeat. Idem etiam tum sobolis procreatio testatur; ad quam mas propter maiorem calorem agendo concurrat, femina patiendò: tum vitæ diurnitas; cum homo & diu viuat, & à perpaucis animalibus superetur.

Cur homo erectus sit natura.

Cur autem ita sint, actuata profectò hominis temperatio, si cutim excipias, quæ minima quædam particula est, non omnium maximè ad ponderis æqualitatem accedit: temperationem inquam accipiendo pro refractatum qualitarum permitione. Quippe calorem semper dominari necesse est. Si tamen pro quadam qualitarum omnium coalternatione sumatur, quarum aliquæ sese vicissim excedunt, proximè videbitur ad eam æqualitatem accedere. Quoniam quantum vnum membrum calore alterum superat, tantum ab illo superatur frigore; vt cuius potest in corde esse perspicuum. Id verò maximè in homine: cuius constitutio, vt maximè temperata sit, maximam necesse est proportionem habeat. Quare hæc, quæ in homine dicitur esse æqualitas, nequaquam est graduum qualitarum, sed virtutis agendi & proportionis membrorum actionibus opportunæ. Vt quemadmodum cor calidissimum est, sic cerebrum adit & pulmones frigida

An hominũ temperatio maximè ad pondus accedit.

Humanam temperationem animalium non esse.

membra, queam cum corde proportionē teneat, ut temperare quoquo modo ac mitigare illius actionem possint; quamvis calor & frigoris totidem gradus non sint, in ceteris fortasse animalibus, in quibus tam vehemens calor non inest, facilius reperias æquales utriusque qualitatis gradus. Hinc verò consequens est, humanam hanc temperationem in totius generis animalium latitudine atque inter illius extrema minimè esse mediam: siquidem calidissimi animalis temperatio ad summam potius intentionem, hoc est ad alterum extremum accedit. Hocque nomine perfectissima iudicatur, quoniam eius perfectio in excessu quodam versatur, quo ad operandum anima optimè comparata est. Cum enim uniuersæ eius operationes calorem possulent, ubi mediocritas fuerit calor, infirma profus erit & imperfecta operatio.

Temperations species.

Ergo duo ponantur extrema: alterum, quod maxime declinet ad frigus & siccitatem; alterum quod ad calorem & humorem: illud ad qualitates mortis; hoc ad eas, quæ vitæ sunt & salutis; illud melancholicum nominatur, hoc sanguineum. Ac rursum alia duo; Phlegmaticum, frigidum & humidum; & cholericum, calidum & siccum. Inter hæc autem media temperatio fieri potest, in qua nullum horum extremum abundet, siue quoad gradus, siue quoad operationes. Quod si extremum frigidum declinauerit, facilius ruet ad interitum, quam si ad calidum declinaret. Ad extremum enim deterius mortisque cognatum declinabit: & maiorē tum operationis, tum vitæ latitudinē amittet. Quare facilius ad sanitatē & mediam temperiem reducitur id, quod ad nimis calidum; quam id, quod ad nimis frigidum declinauerit. Quoniam minor in illo, quam in hoc, operationis & vitæ læsio facta est.

DE VIBVS INDIITIS TEMPERATIO QUAE COGNOSCATUR.

CAPVT IX.

Temperamentis elementa, humores, et anni tempora similia.

Quatuor igitur præcipua numerantur temperationum genera, cholericum, sanguineum, phlegmaticum, melancholicum. Quæ tum quatuor elementis respondent, tum humoribus quatuor, ex quibus constare creduntur corpora nostra, tum verò etiam quatuor anni temporibus; tamen non magnopere consentiente Galeno, qui in primo de temperam. lib. cap. 4. neque ver humidum & calidum, neque autumnum siccum & frigidum esse contendit. Quæ in re plurimum reprehensus est ab Auerroë argumentisque pluribus confutatus comm. 24. in prim. Cant. Inter hæc autē plurimæ immò innumerabiles profus fieri temperationes possunt magis aut minus temperatæ vt magis aut minus ab extremis recesserint.

Temperations iudicia.

Ceterum quantum sit cuiusque hominis temperatio, ex his potissimum signis coniectabimur: ex tactu, carne, adipe, pilo, colore externo corporis, membrorum figura, eorumque facili aut difficili passione, appetentia cibi, operationibus omnibus, affectibus animæ, somnis, ac denique excrementis. Ita tamen, vt non ex vno horum aliquo

duntaxat iudicium fiat, sed aut ex omnibus aut certè ex pluribus.

Primum igitur consulendus est tactus, tanquam æquissimus & optimus principum illarum tactilium qualitatum iudex, quibus temperatio queque constat. Etenim in aere temperato, & reliquis omnibus oportunis conditionibus, temperati hominis tactus excessum facile iudicabit. Nam si nihil patiat, neque à corpore, quod tangit calefiat, aut refrigeretur, neque humetetur aut sicceat; illud quoque temperatum esse manifestum fuerit. Sin autem patiat, ea nimirum qualitas abundabit, qua potest in aliud agere. Hinc est, quod humana cutis, vt est omnium partium maxime temperata sentitque vel minimum qualitatum excessum, ita ad dignoscendas corporum temperationes aptissima est. Qui verò tam exquisita temperatione non consistit, si excessum aut defectum qualitatis à mediocritate recessentis noverit; faciliè nihilominus poterit habita illius ratione, atque excessu aut defectu computato, de aliis iudicare. Immo in qualitatibus passivis, humore & siccitate, adhibenda ferè est ratiocinatio quoque, vt verè admonuit Galenus in altero eiusdem operis lib. cap. 3. Alioqui fiet interdum, vt tactu humidum & molle corpus illud iudicetur; quod siccum fuerit & durum; contra verò siccum & durum illud videatur, quod humidum sit & molle. Humor namque potest à frigore congelari, & duritas actione caloris liquecere; illudque videbitur durum, hoc molle.

tactus.

Corpus tamen, quod naturalem & convenientem sibi dispositionem habeat; solo tactu tum in actiuis, tum in passivis qualitatibus sine errore iudicabitur. Atque illud, quod sentitur molle, si non summum, sed moderatum calorem habeat, verè humidum; quodque videtur humidum, si non maxime, vt glacies, sed temperatè refrigeret, absque errore siccum esse statuetur. Hæc autem examinare atque pensare rationis est opus.

Cum tactu adhibenda interdum ratiocinatio.

Deinde consideranda est caro. Nam multa & rubra caro humidam & calidam temperationem prode, cum soliditate membrorum & virium firmitate. Cum enim caro, humida sit corporis pars; si fuerit multa, multum humorem; si autem rubra, copiosum sanguinem & spiritum & ideo calorem continebit. At ubi cum multa carne multum quoque calor inest, calore scilicet perfectè coquente; membrorum omnium firmitas magna que virtus cõsequitur. Quod si non ex inedia, vigilia, aliâque simili causa; sed naturali habitu corpus sit gracile, parumque omnino carnis habeat, sed rubore aspersum: rubor quidem calor, sed gracilitas siccitatis indicia sunt. Propterea siquidem gracile sit, quod parum alimentarij humoris opponat carni, non aliam ob causam, nisi quia humidum ægrè & vix copulatur cum sicco, vt in lateribus siccis & calce videre est; quæ copulari nequeunt, nisi antea madescant lateres. Iam si carnem minimè rubram videas; & multa humorem, ex pauca siccitatem perinde colliges; vtramque cum valdè moderato calore & potius cum frigore coniunctam: Quæ in re magna profus, vt in ceteris, latitudo est varietasque plurima. Denique caro mollis humidam iudicatur, dura sicca.

Caro.

Carni proximus est adeps. Is si multus fuerit, humorem & frigus; si nullus, siccitatem & calorem, si mediocritas, temperatas qualitates indicat.

Tenuio-

Tenuiores namque & vntose sanguinis partes, dum agente calore ex venis exudant, si in calidas incidant partes, caloris alimentum sunt ab eoque resoluuntur; si frigidis occurrant, adhærescunt, coagulantur, & fit adeps. Hanc ob causam feminæ maribus pinguiores sunt & adiposiores; quia & corporis temperatione frigidiores, & plurimum domi sedentes materiam illam exercitatione corporis non resoluunt. Contrâ verò circa iecur nullus concrevit adeps, vt circa intestina plurimus; propter magnum illius membri calorem. Pinguis quòque & obassis hominibus parua admodum insunt venæ, sanguisque exiguus: quorum vtrumque frigoris argumentum est. Vt si corpus, quod amplas venas habeat, pingue sit; existimandum sit non esse sua natura, sed ex consuetudine victusque ratione. Sicut enim curis, labore, ac tenui victu extenuatur id, quod angustas habet venas, pingueque esse debuisset; ita iucundè, otiosè, ac delicatè viuendo pinguescere illud potest, quod natura gracile est. Melancholici autem iniuria quidem siccitatis aut etiam atri humoris, quo continentur afflicti sunt, haud magnopere pinguescunt: corque cum inter corporis partes calidissimum sit, quo quomodo adiposum est. Verùm in illis quidem, dum siccitas multam arceat pinguedinem, aliquam carni permistam reponit frigus. Cordis autem adeps nequaquam ex illius temperatione nascitur (est enim calidissima, quæ materiam totam resolvere ac deorare debet:) sed ex cura singulari & prouidentia naturæ circa præcipui membri conseruationem satagentis; vt adipe circumiecto refrigeretur, nimiaque siccitate impediatur, quæ ex perenni motu criti possit. Sed & calor in interioribus præsertim finibus partèque inferiori viget, vbi nullus vnquam adeps.

Quo loco explicare licet eam, quæ est inter medicos, difficultatem: vtra nam temperatio, melancholica ne an cholericæ, corpus faciat magis macilentum. Etenim corpus melancholicum per se & ex parte materiæ videtur debere omnium macilentissimum: quoniam cum frigidum sit & siccum, minimum habet sanguinis; & idè vntositatis illius, quæ adipi materiam suppeditat. Omnino tamen & absolute à cholericæ superatur: quia vt est calidum & siccum, sic vtroque adipis principio caret; principio inquam passiuo & materia, quæ est humor, atque actiuo & efficiente, quod est frigus, quod saltem in melancholico reperitur, et si quid ex sanguine vntositatis accedat, potest illud in adipem mutare. Ad sunt etiam pituita permulta & humores incocti, quibus humescunt membra, suntque ad pinguescendum apta. Et hæc quidem erit tertia temperationis coniectura.

Quarta verò petenda erit ex pilis. Nam si pilus aut omnino non oriatur, aut tarde, aut non tam copiosus, vt par esset, frigoris & humoris argumentum est. Frigoris, quoniam tenuis calor materiam non valet resolvere, nec eam expellere, nec aperire poros & vias quibus ea materia extrudatur. Humoris, quia abundet aqueus humor minimè aptus, qui resoluatur in pilum. Contrâ si cito adueniat, siccitatem arguit & ca-

lorem. Nascitur enim siccitate materiam vel in prima ætate, quæ humidissima esse solet, suppeditante, & calore illam resolvente.

Sed multò certior erit coniectura, si pilus sit crassus & frequens, vt hirsutum faciat corpus. Nam vtrumque ex multa materia fumosa, crassa, & adulta, à vehementi calore resoluta nascitur. Idcirco pilosos homines, cum calore & siccitate abundant, libidinosos & in venem procliuos esse affirmavit Philosophus in capite 5. libri 4. de animalium ortu, & Problef. 32. section. 4. & Problef. 26. section. 10, propterea quòd multum habeant excrementi resoluti & separati: Magnùmque calorem, quo ad expellendum prouocantur. Eos verò, qui pilum habeant perpaucum seu rarum & tenuem, frigidus esse animaduertimus, siue humidus sint, siue siccus. Nam siue materiam pili contineant, siue non contineant, perinde est, nisi calorem habeant, quo & eam resolvere & emittere possint. Qui verò inter hos medij sunt, medio quoque modo sese habent.

Iam pilus crispus, præsertim niger, calorem & siccitatem significat. Et si namque aut halitus imbecillitate, qui rectam sibi viam parare nequit, aut ex cutis duritie, quæ halitum rectè moueri prohibet, aut ex pororum & meatuum obliquitate, quæ pilum quòque ad obliquitatem trahit, crispus interdum pilus fit: plerumque tamen ex calore & siccitate efficitur. Nam quæ alia sit causa, cur arthropibus omnibus crispus nascatur pilus? Eiusmodi enim quidpiam pilo accidit, quale corio aut neruo, dum ad ignem contracta contorquentur.

Nigredo eandem indicat temperationem. Quippe ex eo nascitur, quòd deustus vehementi calore halitus, in fuliginem quasi mutatur. Albedo contra frigidum & phlegmaticum habitum ostendit: siquidem pilus albus ex pituita oritur, & in senibus ex caloris inopia. Denique pilus flauus ac rufus temperatarum magis qualitatibus indicia erunt: quoniam flauus fit ex habitu non magnopere adusto: rufus ex media quadam materia inter pituitosam & biliosam. Ad hæc tamen magis, quam ad illam, accedit: & idè flauus sanguineam, rufus cholericam potius constitutionem dabunt.

Verùm ex totius corporis exteriori colore quinta tibi coniectura erit non leuis, nec omnino incerta. Nam color albus frigida & phlegmaticæ temperationis indicium est, subniger & subrufus cholericæ: etsi subniger splendore quopiam temperatus adustam habet melancholicam. Rubescens demum sanguineæ, & citrinus seu obscurus & fuscus sine nitore melancholicæ. Sed tùm Auicenna, tùm Auerroes in primo Cant. particula 42. sapienter monuerunt habendam rationem non esse coloris eius, quem induxit regio, quam incolimus, sed illius, quem natura ipsa in corporibus nostris produxit.

Sexta coniectura erit ex membrorum figura. Quippe amplitudo & rectitudo pectoris & thoracis, manuum, pedum, & extremitatum omnium, magnitudo musculorum, venarum, pullus, ac ca-

Femine maribus pinguiores.

Vena ob esu ha-mosibus ex-gua.

Cordis adeps mdo.

Quæ temperatio magis macilentum.

Pilus.

Philos libidinosi.

Pilus crispus vnde.

Pilorum color.

Corporis color.

Membrorum figura.

B

*Membrorum
figura.*

terorum similibus, optimaque iuncturatum compactio, calorem omnino ostendunt: quoniam ea est illius vis, ut rarefaciat, dilaret, extendat, & omnino augeat. Venarum autem illud proprium est, ut si ampla sint, sanguinem multum & ideo calorem contineant. Horum contraria frigoris signa sunt. Tamen in magno capite oculos paruos iracundi hominis signum esse Hippocrates in 2. Epidamiorum lib. sect. 6. dixerit. At asperitas curvataque membrorum & cartilaginum eminentia, praesertim in gutture & naso propter circumiectorum musculorum extenuationem, & omnino tenuis & aquilinus nasus, siccitatis, eorumque opposita humoris argumenta sunt. Voluit etiam Galenus in extremo lib. de optima corporis nostri constitutione magnitudinem significare humorem, parvitatemque siccitatem; hoc est multam aut parvam materiam, propter quam totum corpus & partes eius singulae maiores aut minores evaserint.

Septima quaerenda erit ex facili aut difficili passione mutationeque ab externis qualitatibus. Nam singula facilius à simili, quam à dissimili & contrario afficiuntur & patiuntur. Quare si corpus à qualitate quapiam citò & facile mutetur, ea nimirum illius temperatio fuerit.

Passio.

Huius similis est octava, in qua ciborum appetentia considerabitur. Quoniam unumquodque instigante natura appetit sibi simile: talique iudicabitur esse corporis temperatio, qualis fuerit quaesitus cibus.

*Appetentia
cibi.*

Non in operationibus consistit. Etenim corpus, quod operationem animalis omnem perfectissime obicit, optimè sanè temperatum iudicandum erit. At vehemens & concitata operatio, caloris, nimiumque festina & accelerata, nimij omnino caloris argumentum fuerit. Propterea balatos, celeri lingua praeditos, atræ bilis humori obnoxios biliososque esse scripsit Hippocrates. Debilis autem, tarda, & segnis actio haud dubiè à frigore proficiscitur. Quanquam ex accidenti interdum fit, ut debilem calor operationem faciat, dum plus aequo consumit & resolvit: iuuet autem frigus, si calor ab eo ad interiora compulsus ad vehementius operandum totus colligatur. Sic enim & dormientes melius coquimus cibos, & hyeme alimento largiore vescimur. Quoniam, ut est in Aphorismo. 15. sect. 1. ventres eo tempore calidissimi sunt.

Operatio.

Decimam affectus animæ subministrabunt. Namque iracundia & omnis ardor animæ ad persequendum bonum & fugiendum malum, solertia, perspicacitas ingenij, eudacia, inuerecundia, morum omnium virilitas, certa caloris signa esse possunt: frigorisque ea, quæ his opponantur. Perseuerantia verò in ira, furore aut mansuetudine; laboris tolerantia & patientia, siccitatem arguant. Contrà ab omni affectu facile permoveri, omnisque inconstantia, leuitas morum, & effeminatus penè animus, humorem. Quorum utrumque tum in maribus & feminis, tum in viris & pueris obseruare licet. Nam mares & viri propter siccitatem constantes magis sunt nec facile mouentur: feminae ac pueri propter humorem vel leuissima ex causa.

Affectus animi.

Somnia.
A Vndecima est somniorum. Cum enim ea frequentissime somniamus, ad quæ corporis temperatio & humorum vis nos magis inclinat; qualia ferè fuerint somnia iucunda, aut tristia, aut truculenta, aut cuiusvis alterius generis; talem colligemus esse nostri corporis habitum & naturam.

Excrementa.
B Postrema excrementis continetur & superfuitatibus corporis; fecibus, vrina, sputo, muco, & similibus. Ex quibus ut in illis cholera, pituita, alteriusque humoris excessus quispiam cernitur, familiare medicis est nostrorum corporum temperationem coniectare. Sed vniuersè hoc loco satis fuerit dixisse; ex ijs, si non medicamentorum vi educantur, sed spontè natum secerentur eijciantur: sintque acuta, pungentia, adusta, beneocta, plurimum tineta, ac demum vehementer olentia, calidam temperationem iudicari possent; frigidam, si secus.

DE HIS QUAE CVM
temperacione coherent.

CAPVT. X.

V

Erùm de temperatione, tum vniuersa, tum humana, satis dictum sit: neque enim accurata magis consideratio ad hunc locum pertinet. Sed illa potius, quæ eorū est cum temperatione coherent; siue tanquā partes & principia illius, siue tanquā affectiones & accidentia eam consequentia. Principia ferè sunt, vitalis calor, qui totius huius viuientium temperationis præcipuus auctor est & moderator: spiritus, velut subiectum & vehiculum, quo is calor per vniuersum corpus distribuitur: innatus denique humor & primigenius, velut caloris pabulum & fomentum singulare.

*Temperacionis
principia.*

Temperacionem quæ consequuntur.
D Quæ verò ex temperatione consequuntur, sunt hæc, sexus maris & feminae, qui ex diuersa corporis temperatione nascuntur: ætates, quæ tum ex temperationis mutatione certis durationibus ac periodis contenta, in tota animalium vita distinguuntur: sanitas & ægritudo, quæ nil aliud esse existimantur, quam temperatus & intemperatus corporis habitus, qui perfectarum aut imperfectarum operationum principium est: vita, quæ in debita & conuenienti temperatione conseruatur: ac demum vitæ opposita mors, quæ temperationis illius dissolutionem consequitur. quibus omnibus expositis perfecta prorsus habebitur animati corporis temperationis cognitio.

De

DE MULTIPlici VIVEN-
tium calore.

CAPVT XI.

A Calore igitur exordiar. Triplicem omnes calorem nominant; cœlestem, elementarem, vitalem. In viuētib; duplex inest, elementaris, & vitalis. Ille singularum corporis partium ex innata earum temperatione elementorumq; permixtione proprius est: hic animam comitatur; duplexque omnino existit. Alter cuiusque membri proprius, atque illi à primo eius ortu infitus. Quia cum qualibet corporis pars animata sit, aliquis nimirum in ea calor consequitur animam: atque hic ille est, qui residere dicitur & sustentari in humido primigenio. Quem calorem Galenus interpretationem faciens 14. Aphorismi libri 1. auctor est usurpari posse atque à Theophrasto & alijs veteribus usurpatum fuisse, tum pro sola qualitate, tum pro substantia calida. Immo in comment. 15. eiusdem libri, & comment. 5. in 6. Epidemiorum librum, particula 5. pro animantium natura ab Hippocrate usurpatum fuisse testatur. Quoniam enim naturalis hic calor non est nudus calor, sed quodammodo affectus, & in quadam constitutus temperatione; non accidentaria solum elementarium qualitatum, sed substantiali quocumque aut elementorum aut humorum; quæ ad efficiendum substantiale temperamentum, quod sit aptum animæ subiectum, permiscetur: quatenus in hoc ipso subiecto sustentatur, dici potest substantia esse quædam calida, & humida; etsi natura sua & per se consideratus non nisi accidens quodpiam significet, quod & actus sentitur, & animam velut proprietatem quædam consequitur, tum ad eam in corpore conseruandam, tum veluti immediatum principium & instrumentum operandi.

Nam infitus calor ad membrum substantiam pertinet.

Vnde medicorum illa contouersia; num hic calor ad substantiam pertineat membri, in quo reperitur, facile tollitur. Nam si is consideretur quatenus accidens quoddam est, nequaquam pertinet ad substantiam, siquidem accidens non potest vilius rei substantiam constitutere: hoc verò accidens consequitur animam, quæ corpori iam perfecto & membris omni ex parte absolutis aduenit. Sed solum est dispositio formam illam in corpore conseruans, atque in singulis membris operandi principium. Sin autem pro calida & humida substantia accipiatur, substantiam sanè membrorum ingreditur: nec modò vt membra sunt, sed etiam vt eorum vnumquodque mistum est tali mixtione, quæ vitalis sit. Ingreditur inquam cuiusque membri substantiam quatenus membrum est: quoniam idcirco est membrum, quoniam animæ famulatur vitæque ac sensus officia exequitur. Quare tunc aliquam dicimus corporis partem cuiuspiam perijisse, quando ad actiones vitales ea vt non valet: præsertim si amisso illo

A membro eæ fuerint naturales. Quam ipsam fortasse ob causam affirmari possit hic calor, vt est accidens, ad membri substantiam pertinere. quia cum is operationū omnium principium & singularis administrator sit, nec sine illo possit membrum actione vlla fungi, non est amplius membrum, nisi homonymum, si tollatur calor. Interit quoque membrum, prout est mistum, enecto calore: non quidem vt mistum est sola elementorum mixtione, quoniam eadem illa post animæ & caloris abscissum remanet: sed vt vitalem illam permissionem habet natui caloris & humidi primigenij, quo sustentatur vita.

B Tam præter hunc natium calorem singulis membris infitum, alius est in animalibus, influens & aduentitius propterea nominatus, quod à corde calidissimo omnium membro diffundatur ad cætera, mitiorique illorum calori innato addatur. Neque enim caloris tantumdem in singulis membris consequitur animam: sed plus multò in vno, quàm in cæteris, plurimum verò in corde. quò sit, vt calidius membrum agat in minus calidum, eique sui caloris aliquid impertiat. Atque hic calor, dum in corde consideratur, innatus est & infitus: dum in cæteris membris deriuatus à corde, aduentitius & influens appellatur. Et vt ad alias atque alias operationes refertur, alio atque alio modo temperatur, & naturalis nominatur, vitalis, animalis. Naturalis crassior est, & nutritioni famulatur, cum sanguine per venas diffusus. Vitalis tenuior, & per arterias cū spiritu distribuitur. Animalis demum is dicitur, qui temperatus in cerebro ad motum & sensum efficiendum per neruos transmittitur.

Calor influens

Naturalis

Vitalis
Animalis

C Itaque vniuersus hic influens calor nequaquam est diuersæ naturæ à priori illo, qui in singulis membris infitus esse dicebatur. Siquidem nil aliud est, quàm illius pars quædam à magis calido membro ad ea, quæ minorem calorem habent, deriuata. Quocirca si calor omnibus membris infitus eiusdem rationis totus est, cum totus ex eodem principio, hoc est ex anima, oriatur: calorque influens eandem cum eo qui infitus est, naturam habet, affirmandum planè fuerit, viuēntium calorem vniuersum eiusdem esse naturæ. Ac rursum si duplici temperatione distincta, vna innata, altera influente, tertia actuata velut ex vtraque constans nequaquam esse à duabus illis distincta ostenditur: non minus verè calorem eum, qui ex infito & influente efficitur, actuatum appellabimus, neque à prioribus illis diuersum esse pronuntiabimus, sed quadam vtriusque copulatione consistere, qua vnus auctio fiat additione alterius.

Influens calorem ab infito non differre natura.

Calor actuatus quid.

B ij

NVM VITALIS CALOR

ab elementari distinguatur.

CAPVT XII.

Verum quod plurima eget contempla-
tione diligentique prorsus explica-
tione, illud est; An cum horum duo-
rum calorum alter ab altero minimè
distinguitur natura, eorum vterque
ab illo primo elementari & igneo differat, quem
exinnata elementorum temperatione in iuuen-
tium corporibus inesse dictum est. An inquam vi-
talis calor sit tanquam flamma, qua primigenius
humor continenter cōsumatur; an verò diuini-
or alia qualitas qua viuientium tota natura & humor
ipse foueatur.

Prima opinio.

Inter veteres, tum Philosophos, tum Medi-
cos, fuisse permultos, qui calorem illum, quo
res cunctæ iustinentur, esse naturam flammæ ar-
bitrarentur; auctor est Galenus in lib. de Mar-
core cap. 3. Quorum sententiam post confir-
marunt Magnus Albertus in 2. lib. de animalibus
tractat. 1. cap. 4. & Marcus Anthon. Zima-
ra in explicatione 6. contradictionis in 12. librum
Metaph. cum vitalem calorem affirmarunt eius-
dem esse naturæ, & speciei cum calore igneo &
elementari. Quod Aristoteles quoque & illius
interpretes sensisse cuiuspiam videri possint in tex.
41. libri 1. de anima, & cap. 7. libri 2. de parti-
bus animalium; Dum animam quidem dixit præ-
cipuam esse ac principem nutritionis & accre-
tionis causam; sed ignem tamen concessit esse
causam & velut instrumentum. Et in tex. 130.
ignis dicitur sensibus omnibus inesse, quia ni-
hil sine calore sentire potest. Effectus enim
omnes admirabiles, quos in viuientibus cerni-
mus, vt alimenti coctionem, attractionem, fer-
rus formationem, & alios his similes, fieri ab
hoc calore inquirunt; non vt calor simpliciter
est, sed vt est anima instrumentum, atque ab
hac superiore causa regitur. Ex qua ipsa vni-
one fieri putant, vt non adurat neque consumat
humorem, sed foueat potius & viuificet: nec
ad partes solum superiores, sed ad omnia mem-
bra trahat, cunctasque viuientium operationes
exequatur.

Consultatio.

Quorum hominum oratio atque sententia mi-
hi nunquam probata est. Nec adduci possum,
vt credam, illud ipsum, quod est certissimum
vitæ instrumentum, perniciem nobis in omni vi-
ta machinari, eandemque causam esse vitalem
atque mortiferam. Præclare namque vrget Ga-
lenus, flammam seu calorem igneum ex corrup-
tione materiæ, quam depascit, ortum habere:
voracemque esse ac vim habere perdendi
tantum materiæ, qua alitur; nullam verò re-

Aficiendi. Secus calorem natium; qui mate-
riam suam conseruat & fouet atque ab omni ca-
lamitate defendit: quin etiam magnopere au-
get & reficit naturaque patrimonium locuple-
tius facit. Et in 8. libro de Hippocratis & Pla-
tonis decretis capite 7. Si ab igne, inquit, cibo-
rum coctio, digestio, sanguificatio, & nutritio
fieret; melius & citius etiam in febrientibus om-
nia hæc conspicerentur absolui. Addit ex Hy-
pocrate, in prima ætate plurimum abundare
natum calorem: ventres hyeme ac vere cali-
dissimos esse; contra ætate & iuuentute ig-
neum copiosorem sentiri. Platonemque repræ-
hendit, quòd innatum calorem appellasset ig-
nem.

Quocirca is auctor tum his locis, tum in ex-
positione 14. Aphorismi 1. lib. & alibi sæpè du-
plicem hunc in iuuenibus calorem distinguit:
& natium ait ætæ & aquæ esse substan-
tiæ, & propterea in spiritu & sanguine ac pitui-
ta consistere. Eandem quoque sententiam Auer-
roes in commentar. 18. in 12. librum Metaph. &
cap. 2. lib. de substantia artis, & Auicenna in 16. lib.
de Animalibus c. 1. & Cōciliator differentia 59. &
111. & Gêtilis, Ioannes, Fernellius, Valeriolus, & alij
complures verissimam esse confirmant. Ad quam
illud spectat, quod habet Hippocrates in memo-
rato Aphorismo; eos, qui crescunt, plus innati
caloris habere, quam habeant alio tempore. Et
illud, tum apud ipsum, tum apud Galenum in
commentar. 5. in 6. librum de vulgaribus mor-
bis particula 5. Animâ, quam illi vitalem spiritum
& calorem esse voluerunt, si ignescat, priora
munera obire non posse; sed totum corpus per-
dere & velut ignem liquefacere. Ac demum vir-
tus illa, quam ad celestium similitudinem ver-
gentem in spiritu esse tradidit Auicenna in lib.
de medicamentis cordis, tractatu primo, capite
secundo.

At quam medicorum, quæ Philosopho-
rum vox non sit Aristotelis dignitate & opinio-
ne inferior? Aperta est illius sententia in cap. 3.
libri 2. de animalium procreatione; calorem
hunc vitalem neque ignem esse, neque ab igne
originem ducere; sed præstantiorem aliquam
naturam habere, quæ proportionem respondeat
elemento stellarum. Quippe ignis nullum ani-
mal procreat, sed destruit potius: vitalem autem
calorem & celestis benefici omnino sunt & saluta-
res, cunctasque viuientia tum procreant, tum re-
stantant & fouent. Et in 1. cap. eiusdem libri fici-
tatem docuerat rem esse inimicissimam vitæ, hu-
morem amicissimum: quare cum nihil sit amicis-
simum vitæ, quam vitalem calorem; hunc humidum esse
oportet, non siccum & igneum. Idem in cap.
2. libri 4. Meteororum, putredinem definiuit
proprij & natui caloris interitum esse in quo-
uis humore, ab alieno profectum calore, qui
rei est continentis. Ea verò, quæ putrescunt,
igneæ non sunt: cum ignis putrescat nunquam,
vt idem exposuit, tum eo loco, tum in lib. de
longitudine & breuitate vitæ capite 3. & probl.
20. section. 25. Quare in probl. 18. section. 26.
cum quaesiuisset, Cur Auster feridus halitus
causa sit; eam respondit esse causam quòd
res hu-

Secunda opinio.

res humidus & calidas efficit; hæc autem maxime putrescunt. Si ergo naturalis calor putrescit, humidus esse debet, non siccus & igneus. Sed in lib. illo de longitudine & breuitate vite an non hoc tanquam certum posuit, vitam humore calido seu humore & calore contineri, siccum verò & frigidum certam interitus causam adducere? Quod si calor innatus adiunctam haberet siccitatem, quæ calorem acuit, quis non videt eum exito futurum, non salutem? Idcirco copiosum calorem addidit causam esse vite longinquioris, quia diutius resistit siccitati intentum molienti: magnamque vim caloris prorogare vitam, quoniam prohibet, ne humor frigore concreseat & pereat: caloremque hanc in quibusdam pinguem seruati ad siccitatem & refrigerationem arcendam, in alijs alio sicci genere præditum esse. Et paulò post plantas adiunxit diuturnioris esse vite, quam animalia; quòd humorem habeant minus dilutum. Quibus omnibus verbis aperte significauit naturalem calorem non esse siccum, sed humidum; nec vitam nostram exhaustire perpetuò, sed fouere potius & custodire. Addidit quoque in eodem lib. humorem calidum esse vite & accretionis causam. At eadem est cognatio caloris & humoris, quæ est humoris & caloris: & vt humorem vitalem dicimus esse calidum, sic vitalem calorem humidum esse asserimus. **Q**uæ sicut Aristoteles ita de humore locutus est in eo lib. sic in 2. de anima, & in lib. de sensu & sensibili calorem dixit augere & alimentum gignere: nullam autem pronuntiauit habere vim, vt diminuat animal & conficiat; quod igneus calor facit.

*Calorem vitalem
aëreo magis quàm
igneo similem
esse.*

Relinquitur igitur, si standum sit Aristoteli, calorem viuents humidum esse: ac proinde calori potius aëreo, quàm igneo similem. Calor namque naturalis cum sit aucter & dux vite, qualitatem eam comitem habere debet, quæ vite focia est, non mortis. Quis enim non videat eum esse illius materiae qualitatem, quæ proximum est vite subiectum? At hæc materia humida est & calida, oleo persimilis atque ad exardescendum & nutriendum facilis. Quod si is calor esset siccus, quo esset maior eò sicciore. Et cum eundem ipsam qualitibus omnibus superiorem esse oporteat, sequeretur, calorem hunc, quem vitalem appellamus, celeriter interempturum esse animal: cum ignis acerrimus sit vite hostis, qui si vincat cætera elementa, actum est de illorum salute. Video tamen medicos omnes & Philosophos vna voce pronuntiare, eam corporis constitutionem, quæ plus habeat natui caloris, longinquioris temporis esse. Quo fit, vt si calor is esset siccus, calida & sicca temperatio diuturniorem haberet vitam, quàm reliquæ omnes constitutiones: immò, quæ maximè cholericæ esset, longinquissimam degeret vitæ. Verum quis ignorat siccitatem esse qualitatem mortis; & quòd siccus fuerit animalis corpus, eò esse ad omnem vitæ ruinam procliuus: contra verò vitam in humore conseruari, caloremque totius esse vitæ optimum defensorum?

*Quoniam elementum
aëreum non esse.*

Ergò hunc natura humidum & aëreum potius, quàm siccum & igneum esse oportet. Quippe is consequitur animam tanquam eius af-

Afectio; influentemque temperationem constituit, atque operationum vitalium proprium est & singulare instrumentum. Igneus autem & elementaris calor productionem animæ antecedit, velut materia & corporis dispositio, atque ad innatam temperationem pertinet, vt qualitas elementorum propria, quæ illorum ipsorum beneficio in omnibus quoque mixtis reperitur. Et quidem si innatam illam elementorum elementarumque qualitatum temperationem spectes, in nostris sanè & verò etiam omnium viuentium corporibus elementa frigida dominantur, præsertim terra, non ignis. Dum igitur in influente & actiata temperatione abundat calor, isque omnia vitæ munia exequitur, nequaquam is igneus aut elementaris esse potest. Etenim si esset, quemadmodum in omnibus naturalis hic calor abundat, sic animalia omnia calida & sicca, hoc est ignea & cholericæ temperationis essent. Deinde cum operationes vitæ ab anima immediatè proficisci nequeant, sed eam necesse sit instrumento aliquo vti: hoc igneum & elementarem calorem esse non posse duo testantur. Alterum, quòd hic calor in corporibus nostris magnopere fractus est & tenuis, aliarumque qualitatum permissione plurimum impeditur, ne tam vehementer operetur, quàm est in viuentibus necessarium, quæ vehementissimum omnino calorem postulant. Quare etsi calorem naturalem dictum sit aëreo esse persimilem, quòd humidus uterque sit, hoc tamen vel maximè argumento ostenditur aëreum planè eum non esse. Quoniam aëris calor tum propter aliarum qualitatum permissionem caligatus maximè est & exilis: tum propter cognati humoris societatem tam hebetatus in agendo, vt vel in ipso aëre, in quo purus est, sincerus, & integer, minimèque diminutus & fractus, vix tenuem actionem retineat. Igneus vehementior est ad agendum, quòd focia siccitas agendi vim non parum acuat. Sed & is in nobis magnopere fractus est: & natius calor humidus est, non siccus. Alterum argumentum est, quòd quamuis accidens dum coniunctum est cum substantia & quatenus illius instrumentum operatur, præstantissimos possit & sua natura superiores effectus producere: illud tamen oportet cum illa proportionem quandam habeat, iuaque natura sit aptum & accommodatum functionum earum instrumentum. At quæ tandem proportio elementaris caloris cum anima? Sua enim conditio & natura deterioris multò, immò & deterrimæ formæ, hoc est elementaris, proprium instrumentum est; animæque meliores opes quaerit. Si perfectissimus & omnibus suis gradibus absolutissimus calor ad infirmas quasdam operationes igni famulatur; quis eum parte maxima diminutum ac propè extinctum, instrumentum esse animæ credat ad functiones omnium admirabilissimas? Cum enim accedens & instrumentum non accipiat ab anima aut substantia, cum qua iungitur, vim vllam agendi; sed solam actionis determinationem ac moderationem; si illud sua natura debile sit, atque ad agendum inefficax, eandem semper imbecillitatem, atque ineptitudinem ad effectus illos producendos habebit. Autum quædam

B ij

certè & similia complura vi & actione natui caloris soluantur & ad viuientis temperationem adducuntur; quod ignis calor vel intensissimus non potuisset. An non in magnete lapide ad trahendum ferrum atque in ceteris mistis inanimis ad alias atque alias, quæ visuntur in singulis, operationes perficiendas quadam qualitates ab elementibus longè diuersæ creduntur inesse: Quidni ergo in viuientibus concedantur, in quibus admirabiliores multò & præstantiores cernuntur effectus: Alio qui mistorum quòque inanimorum operationes elementari cuiusque qualitati attribuatur, quæ cum forma cuiusque misti propria coniuncta fuerit. Hoc cum ab omni ratione abhorreat; concludamus operationes hæc viuientium proprias beneficio & ope fieri nobilioris cuiusdam superioris caloris animantium duntaxat proprij. Neque (quod aliqui ex recentioribus opinantur) opus esse virtutem aliam occultam fingere ad omnia hæc viuientium munera exequenda: Cum solus hic calor minus omnium sit auctor atque perfectior.

HVIC CALORI FRIGVS
aduersari.

CAPVT XIII.



E cuius natura illud quoque dubitatur, an contrarium habeat & aduersetur frigori. Principio constat, calorem hunc naturalem priuantem saltem oppositionem habere. De contrarietate autem positua Io. Fernelius, Valeriola, & quidam alij constanter asserunt eum esse persimilem cælesti luci, quæ omni contrarietate caret: & ideo neque frigori aduersari. Argumento est; tum mortis illa definitio ab Aristotele exposita in lib. de respiratione cap. 14. mortem non esse aliud, quam extinctionem calidi. Tum quia hic calor fouetur magnopere & conseruatur frigidi aëris inspiratione: potius autem extingui & interire deberet, si qualitates hæc contrarietatem haberent.

Prima opinio.

2. Quorum sententia mihi quidem videtur probabilis & honesta; non tamen necessarijs rationibus confirmata. Ac primum quidem ex eo, quod sic libuerit Philosopho definire mortem, morsque sit extinctio caloris & priuatio vitæ; nulla duci probatio potest. Fieri enim potuit, vt calor ille interimeretur à contrario atque inde profecta sit mors. Deinde verò calorem illum frigidi aëris inspiratione foueri; præterquam quod omnis calor id requirit ne suffocetur; nescio quàm verè dicatur. Cum planum sit aëre illo frigido temperari ac minui calorem cum, qui est in corde: vt ea temperatione seu temperato calore conseruetur animalium vita, quæ vehementi nimium & immoderato extincta breui fuisset. Hoc autem verè dici, illud est magno argumento; quod nec in plantis nec in reliquis animalium partibus calor aëre hoc inspirato refrigeretur. Si igitur calor cordis, qui vehementissimus est, inspiratum aërem suscipit, propterea suscipit, vt ab eo temperatus aptior sit ad animalis vitam conseruandam. Quocirca illud ipsum, quod ij auctores maximum suæ sen-

sententiæ præsidium esse voluerunt, eam potius euerit ac tollit. Namque si naturalis calor remittatur à frigore, & remissio contrarij permissione fieri debeat, vt pluribus in locis auctor fuit Aristoteles, maxime verò in tex. 19. libri 5. Phys. necesse est calorem illum & frigus esse contraria. Addam, in lib. de longitudine & breuitate vitæ cap. 2. scriptum fuisse, fieri nunquam posse, vt aliquid sit in materia, quod contrarium non habeat: duobusque modis calorem hunc interire posse; quorum alter est à contrario & hostili frigore. Neque enim obstat propositio illa, quæ est in tex. 10. lib. 1. de cælo; Vni vnum est contrarium. Propterea quod frigori nil aliud contrarium facimus, quàm calorem: siue ille sit elementaris, siue naturalis & viuientium proprius. Quippe diuersitas hæc comparatione frigoris accidentaria profus est; quamuis caloribus ipsis, qui distinguuntur, sit essentialis.

INNATVM HUMIDVM A
vitali calore non dissipari,
sed refici.

CAPVT XIII.

C Igitur ea est caloris huiusce natura, conficitur necessariò, cum nullo modo innatum & primigenium humidum exhaurire, quemadmodum medicorum plerique sentiunt; sed fouere, reficere, & quàm diligentissimè potest, tueri & conseruare. Neque enim adducat vnquam, vt credam qualiter eam, quæ vitalis maxime est, quæque ad viuentium omnium conseruationem comparata est à natura, interitum illis & perniciem in omni vita machinari; alteram illam qualitatem dissipando ac deuorando, quæ vitæ omnis principium est & fundamentum. Eam enim, dum exhauriret, adferet interitum viuenti, non conseruationem. Immo verò si calor hic corrumpat suum subiectum, cum hoc sit calidum & humidum, neque corrumpi humor possit, quia calor etiam ipse extinguitur, idem corrumpet seipsum: Certissimum quoque est Philosophorum omnium effatum: Actionem quamlibet effici à contrario. Quapropter si is agit in suum humidum, calorem oportet humori esse contrarium. Et quoniam hæc qualitates per se nequaquam contrariæ sunt: calorem hunc oportet esse sicum, & humorem frigidum (sic enim ignis in alienum humorem agit propter adiunctam sibi siccitatem aut propter frigus humori copulatum,) at neque viuentium calor est sicus, neque humor frigidus; sed calor humidus & humor calidus. Quæ igitur inter eos possit esse actio, cum vtraque qualitas miro concordia vinculo adstricta teneatur? Et humor ille quandam aliam habeat contrarietatem siccitatis & calor frigoris; neque vni possint esse plura contraria. Tum demum si flammæ naturam noster hic calor imitatur in eo, vt humidum semper depascat; quando is maior fuerit ac robustior, magis vehementiusque depascet: minus verò consumet, quando fuerit imbecillior. Quæ igitur ratione euenit, vt quæ animantes maiorem habent calorem, diutius conseruentur & viuant,

& uiuant; quæ minorem, breui tempore extinguantur. Qui fit, ut idem homo eodem genere & modo cibi contentus æstate & hyeme, æstate languescat, viribus deficiatur, & omnia membra mirandum in modum extenuentur: hyeme autem viribus valeat corporisque omnes partes sint pleniores? An quia, ut mox intelligitur, corporis nostri consumptio est à calore minimè naturali; refectio verò & recreatio insti calor est, qui hostili & externo semper obstitit. Quorum alter æstate, alter hyeme magis riget atque ad agendum potentior est. Cum igitur continenter occidat vitalis humor, cumque eo naturalis viuenti calor, eadè credendum est esse causas interitus calor naturalis simpliciter, & eius interitus, cui in omni vita obnoxium animal est. Ex autem exponendæ iam sunt.

A quoniam innatum humidum consumatur.

Auctor est Aristoteles in tex. 52. lib. 3. de cælo duobus modis ignem interire posse. Aut enim perit à contrario interemptus, aut ex defectu materia, qua sustentabatur, in seipso marcescendo: sicut cum paruus ignis à maiore corrumpitur. Vtrumque porro corruptionis modum naturali quoque calori conuenire, testatur in probl. 22. & planius multò in probl. 25. sect. 3. his verbis. Corruptur autem calor (sermo est de naturali) aut marcore, aut extinctu. Extinctu quidem à contrarijs, hoc est frigido & humido. Marcore autem; vel indigentia nutriti, ut lucerna, cum fomite aut oleo caret; vel ab alieno calore, ut ignis in sole & lucerna apud ignem. Quibus verbis docemur naturalem calorem interire posse aut à contrario frigore & verò etiam siccitate. A frigore quidem per se; quoniam est illi verè & per se contrarium. A siccitate autem ex accidente; quatenus & humorem illum exhaurit, cum quo calor coniunctus est. Aut ab externo & immoderato calido; dum ab eo vincitur & consumitur interitus & natiuus humor, in quo calor noster sustentatur. Verum cum hic calor sit natura humidus, quomodo eum dixit interdum ab humore corrumpi, humoremque illi esse contrarium? Humorem nimirum affirmavit illi contrarium esse, non ut humor est, sed ut est aqueus & frigidus. Non enim à quouis humore, sed ab aqueo duntaxat extinguitur, cum quo propter adiunctum frigus implacabiles inimicitias exercet. Itaque tribus modis à contrario corrumpitur; à frigore, à siccitate, ab humore: à frigore per se; à duobus reliquis ex accidenti: à siccitate quidem, quatenus ea contraria est humori, qui qualitas est natiui caloris focia: ab humore autem aqueo, quatenus adiunctum habet frigus inimicum calori. Quanquam hoc loco Aristoteles siccitatem non memorat; sed solum frigus & humorem. At in lib. de longitudine & breuitate vitæ; accuratius causas interitus peruestigans, frigus & siccitatem posuit: quoniam ex sunt qualitates mortis duabus illis contrariæ, in quibus consistit vita; calori inquam & humori. Humidum autem non adfert interitum, nisi quatenus frigidum est, atque ad frigiditatem contrarietatem pertinet. Cum verò caloris extinctionem comparauit minori flammæ quæ à maiori opprimitur, non id significauit, perinde ut flammam vrere & absumere calorem nostrum, esseque igneum: sed eum nonnunquam deficere, ut minor flamma perit à robustiore absorpta. Ut enim maior flamma mi-

Quomodo humor calori contrariatur.

noram exorbet, quia materiam illius deuorat; sic externus calor, si quam naturalis fuerit maior, materiam illius depascit; cum qua & ipse occumbit, licet nullam vquam ipse perniciem suæ materiae moliat.

Extant tamen verba quedam in cap. 3. eius libri, quæ huic sententiæ aduersari videantur: Alimentum, inquit, non sumentia & animalia & planta corrumpuntur. Consumit enim ipsum seipsum. Quomodo enim multa flamma comburit & corrumpit paucam, eo quod alimentum consumat: sic naturale calidum primum coctium consumit materiam, in qua est. Verum philosophus loquitur in concreto de ipso viuente, quod calorem habet. In eo autem cum duplex reperitur calor, elementaris, & naturalis, dicitur ipsum corrumpere seipsum, quia calor elementaris siccus, qui in ipso est, agit innatum humidum absumendo. Atque omnino intelligendum est propriam naturam caloris operationem esse fouere humidum illud membris insitum, totumque viuens quam diutissime conseruare. Propterea enim agit in humidum alterum, quod alimentum suppeditat, coquendo illud & in viuens substantiam mutando: ut inde refectiatur id, quod in humido innato elementaris calor corruerat. Quod si alimentum desit, actio illa caloris conuertitur in membrum, in quo est: tum quia calor ille nequit esse otiosus: tum quia in membro aliquem humorem reperit, qui consumi adhuc potest. Hoc Philosophi verba non obscure significant; quibus calorem hunc docet, quandiu animal sit in naturali statu atque opportuno alimento vtatur, in coctione tantum aduentitij & alimentarij humoris occupari, nec primegenio detrimentum vllum adferre. Denique verè etiam affirmare licet, calorem hunc vitalem, si vt est vitalis & optime temperatus spectetur, alienissimum esse ab omni pernicie ac maleficio. At verò si vitietur atque à calore extrinseco & igneo, qui est naturæ inimicus, pessimè afficiatur; ea omnia effici, quæ ille moliebatur.

Exponitur locus ex lib. de longitudine & breuitate vitæ.

Caloris actio propria & ex accidenti.

Siccum porro illum igneum calorem esse omnium ruinarum auctorem, & architectum, multum testantur. Primum, quod qui natura, calidi sunt & sicci, haud perlongo intervallo vita priuantur. Deinde, quod æstate huius sicci caloris maleficio concidunt animalium vires & corpora afficiantur; vitalisque humor & calor minuuntur, cum minui non possit humor vitæ, & integer calor manere. Vnde etiam ab hoc ipso hostili calore febres, morbi, & aliæ his similes calamitates adducuntur. Tū verò quia quod facit calor ignis offendens res humidas, hoc ipsum molitur calor is igneus, qui in animalium corporibus residet, in humorem vitalem incidens. Ad extremum quoniam actione ibi esse necesse est, ubi contraria sunt simul. Quare cum in viuenti corporibus, quæ ex quatuor elementis concreta sunt, calor sit quidam siccus & igneus: naturam is pinguem & humidam dissoluere semper debet, extenuare, & quantum est in se ad nihilum redigere: humore autem illo consumpto consumatur quoque necesse est cum eo coniunctus calor.

Interitus à calore igneo & sicco.

Præter hunc tamen modum consumendi calorem naturalem, alij sunt, quibus perpetuo &

*Alii interitus
causa.*

grauiter affligatur. Nam quacunquē animali vel acius frigus vel maiorem inferunt siccitatem, naturam innati caloris labefaciunt. Hinc est, ut quoniam aër in omnes horas mutatur & externas omnes qualitates facillè admittit; naturalis quoque calor noster modò refrigeretur, modò ad siccitatem mutetur, modò humore aqueo nimium humectetur, modò à circumiecto aëre disperdatur. Cum enim corpora nostra contingat aër; fieri non potest, quin ea perinde afficiantur, atque aër affectus est. Ignis quoque si moderatus fuerit nec diuturnus, & moderata corporis exercitatio; natuum calorem tuentur; ille, dum ardet frigus aqueumque humorem cōsumit, sic dum calorem excitat & acuit. Sed vtraque causa, si nimia fuerit, plurimum oberit, citiusque siccando corpora mortem adferet.

*Summaria cō-
clusio.*

Meam igitur de toto hoc controuersia genere sententiam colligens pronuntio; In viuētibz corporibus duplicem inesse calorē; vnum igneū & siccum; Alterum vitalem & humidum: illum corporis, hunc animæ propriū. Tertius enim aëreus, elementaris item, qui nominari potest, nullius penē momenti & actionis est. Innatumque humorem tum ab externis frigore & siccitate, tum ab innato igneo, siccoque calore continentur extenuari & depasci. A quo cum auelli non possit natiuus calor; sic ipse cogitur eandem ruinam perniciemque sentire. Nam cum suo humore ipse quoque consumitur atque distrahitur. Perpetuum verò naufragium hoc conatur is alimento reficere; quo se luumque humorem tuetur ac renouat.

DE CREBRA NATIVI CALORIS MUTATIONE.

CAPVT. XV.



T viuētiū calor perpetuū & in omnes horas mutatur; tum ex actione contrarij frigoris; tum ex humoris innati consumptione, cum quo is necessario vinculo coniunctus est. Mutationes tamen omnes, quæ fieri possunt, vniuersè considerādo, tres ex distinguuntur. Vna est, qua propterea continenter mutatur; aut quod per poros semper euaporat; aut quod dum in venis & arterijs cum sanguine & spiritu partes corporis omnes percurrit; dum sanguis & spiritus mutantur, alijque succedunt alijs, calor quoque cogitur eandem mutationem sentire. Altera qua corrumpitur; tū ex accidente, cōsumpto à siccitate humido; cum quo is coniunctus est & conseruatur, tum per se à contrario frigore aut aëris circumfusi aut alimentij suscepti. Dum enim in illud momentis omnibus agit, à contrarijs illius qualitatibus non parū patitur, debilitatur, & frangitur. Tertia & postrema, qua modò maior efficitur, modò minor. Non enim eundem semper modum conseruare potest (alioquin nunquam diminuto neque enecto calore animantes nunquam priuarentur vita) sed mutatur per se, tum ratione temporum: quippe magis hyeme viget & vere, quam æstate & autumno; vti in Aphor. 15. lib. p. Hippocrates & Galenus confirmant. Tum locorum; nam maior est in re-

*P. caloris mu-
tatio.*

gione temperata & frigida, quam in ea, quæ immoderate calida sit. Tum demum ætatum: Quis enim nesciat robustiorem multo calorem esse in puero & iuuenē, quam in senē?

Dum tamen puer cum iuuenē comparatur, aut cum eo, qui ætate sit consistente & florida; magna est medicorum cōtentio. Namque Hippocrates in Aphor. 14. & 15. lib. p. & in lib. de hominis natura, pueris, qui cresunt; plurimum inesse calore existimauit. Copiosiores enim cibū sumunt & consumunt, faciliusque adoleseunt, ac minus omnino inedia ferunt. Et eorum calor à primo principio minus distat, minusque fuit à contrario constitutus. Ac demum copiosior est in illis humor, cum quo sanè calor naturali coniunctione tenetur.

Contra pro ætate florentibus pugnant Thomas de Garbo in medicinali summa quest. 17. & ex philosophis Marcellus quest. 15. in posteriorem de ort. & in heritu librum, & alij quidam. Tum quod eorum caro calidior tactu sentitur, copiosiorque in illis est sanguis, & flaua bilis magis abundans: qui duo humores calidissimi sunt. Quin & eorum morbi acuti magis sunt & intensi, propter maiorem natui caloris repugnantiam, & plerumque cholericī: vbi puerorum morbi sunt phlegmatici. Tū quod operationes omnes, quæ a calore administrantur, vehementiores in illis & perfectiores existunt; vti in arteriarū pulsu obseruare licet, in membrorum motu, in cessu & cursu; in virtute procreandi sibi simile, quia puer nondum frui potest; in sensuum functionibus, in viribus corporis, labore, vigilia, immò in cibi quoque cōctione. Non enim tam sapē vomitum patiuntur iuuenēs, quo pueros videmus in dies serè singulos constitari. Denique accedunt pili, qui cum agente calore producantur, in ætate florentibus magis abundant.

Hanc antiquissimorum quoque medicorum fuisse sententiam ex Galeno cognoscimus in 2. de temperamentis lib. cap. 2. & in comment. 14. Aphor. notati. Quibus is magnopere indignatur, quod eiusmodi argumentationibus velint questionem eam definire, cuius sincerus & certus iudex solus tactus esse potest. Quem demum ipse secutus, plurimis corporibus, tum puerorum, tum ætate florentium sepius tactis, neutram ætatem constituit absolute altera calidiorē esse. Quin potius æqualem in vtraque reperire calorem. Sed puerorum calorem halitusosum magis esse tangentique blandiorem; propter copiosiores humorem feciūm: florentium subacrem, minus sitaem immò mordacem magis, quod siccior euaserit. Cuius rei præclarum illud flammæ extat exemplum apud eundem in lib. de marcore cap. 3. Sicut enim flamma in humida in currens ligna principio opprimitur, & quasi suffocatur, deinde verò superata materia splendet magis & seferigit: ita natiuus calor in prima ætate humore copioso veluti suffocatus vix sese attollit: post autem humorem illum superat ac omni materia superior euadit; itaque nō nebulosus turbulentusque nec fumosus, sed purus & æthereus redditus suas operationes omnes liberè commoustrat. Hinc illud est, quod is auctor habet in 3. lib. de Symptomatum causis cap. 3. appositionem cibi faciliorem in pueris esse, quam in ijs, qui ætate florent:

ac

*An maior in
puero, an iuuenē
calor.*

t. opinio.

ac retentionem, coctionem, & attractionem imbecilliores multò. Cùm & sæpius deiciant pueri excrementa propter humiditatem, & cuomãt: & dura si quæ comederint, deterius multò & agrius cõficiant. Tameñ in 1. lib. de sanitate tuenda cap. 5. naturales omnes functiones in pueris, voluntarias in iuuenibus; aut in lib. 6. cap. 1. corporeas in illis, in his eas quæ animi sunt, meliores esse scribat.

Porrò quod de eo, quod nunc queritur, Galeno placuit affirmare, æqualem vtriufque ætatis calorem esse, Auicennæ quoque in p. fen. p. can. doct. 3. cap. 3. & lib. 12. de animalibus cap. 4. quem mox secutus est Aueroes in com. 34. in primum Canticorum, hoc argumento libuit confirmare. Quoniam calor, qui fuit in puero, neque auctus est in iuuehe, neque vlla ex parte extinctus. Nihil enim additum est, quo fieri maior possit: neque si vlla ex parte minutus esset, augetur corpus, quemadmodum augebat in puero, sed potius minueret. Quippe in senibus propterea corporea minuuntur, quòd minor fiat & imbecillior calor. Hæc ferè à medicis disputantur.

Egò verò plurimùm probo iudicium Hippocratis: cuiusque hæc de re sententia rationi maxime consentanea videtur. Omninoque aio calorem innatum secundum suam substantiam & integritatem graduum maiorem esse in puero, quàm adolefcit: quàm in eo, qui iam in ætatis vigore consistat. Quis enim calorem eum non videat sui ortus principis propinquiorem esse: neque tandiu oppugnatum fuisse atque consumptum, aut à contrario frigore aut à siccitate innatum humidum depascente, quândiu fuit iuuehilis calor? At consumpto & diminuto humore ipsum quoque calorem consumi & minui necesse est. Et quamquam quæso sit causa, cur cùm antea plurimùm creveret corpora, partefq; omnes facilius multò adolefceret, postea cesseret omnis accretio, neque maiora amplius euadant membra, sed eandem vix graditatem tueantur? Nisi quod copiosior antea calor copiosiorum partibus omnibus apponebat substantiam, quàm fuisset ab hostilibus causis consumpta: post debilitatus vix tantundem congregat, ac demum fractus prorsus ac penè prostratus agrè & minimùm corpora nostra reficiat. Hæc nimirum diuersitatis illius ac vicissitudinis ætatum, quæ in animantium omnium vita cernitur, vnicam esse causam philosophi omnes voluerunt. In pueris namque si tam vehemens calor tãto opere non se prodatur, ut in iuuenibus, id aut ex organorum & membrorum imperfectione etenit, aut ex abundantia nimium humore, qui perfectas caloris operationes prohibet, magnaque parte illius virtutem obruit. Nam in iuuenibus, in quibus tam copiosus humor siccatus est, vehementius agit omnemque vim caloris exerit: tum ob perfectiorem instrumentorum conditionem humorèque mitigatum: tum propter copiam fluxu bilis, quæ ad operandum non minimum habet momentum: tum demum quod illi crebra & vehementi corporis exercitatione instam illam sibi virtutem excitant, atque ad agendum prouocant. Denique quicumque fuerit æquus huius controuersie iudex, maximum omninò pueris calorem inesse pro-

nuntiabit. Siquidem tam copioso primæ illius ætatis humore non penitus opprimatur, aut alia omni ope destitutus ab operando non impeditur, quominus vegetare, nutrire, amplificare corpuscula illa possit. Contra iuuenibus & ætate consistentibus minorem multò. Quippe cum fociam habeat siccitatem, fluxam bilem, & alias eiusmodi adiutrices causas, vehementius multò ea omnia operari deberet, si æquè ac in pueris robustus esset. Etenim caloris actionem retundit vtriq; humor, acuit siccitas.

Iam vero his ita definitis facile erit alteram medicorum discordiam componere. Disputant enim rursus, vtranam harum temperationum, pueri inquam an iuuenis, temperata magis sit. Nam iuuenes respondendum est magis temperatos esse. Siquidem nimius ille puerilis humor mitigatus & magna ex parte consumptus est: omnesque operationes multò sunt perfectiores: ac demum dum natura humidam puerilem constitutionem ad senilem siccitatem traducit, eam necesse est in quadam mediocritate consistere, quæ non nisi in iuuenum temperatione reperitur.

Iuuenis temperatus magis quam puer.

QVOD SIT NATIVI CALORIS SUBIECTUM, QUOD PRINCIPIMUM, QUE ORIGO.

CAPVT XVI.



Erunt enim vero quod sit caloris huius subiectum, quis fons, definitum est quoque. Eum igitur calorem, quem innatum & actuum dicimus, in singulis inesse membris ac partibus solidis, tum homogeneis, tum heterogeneis; hæc facile demonstrabunt. Primum singula membra sunt animata & propriam aliquam operationem habent: singula igitur calorem illum participant, qui animam comitatur, & est illi ad operandum necessarius. Deinde viuunt singula membra: vita autem in calore & humore consistit. Tum demum nutriuntur omnia: nutritioque caloris est opus. Influentè tamen & aduentium calorem in spiritu & sanguine inesse, illud est certissimum argumentum, quod is à corde per spiritum & sanguinem arterijs venisque contentus per vniuersum corpus diffunditur.

Caloris subiectum.

Sed quamuis hæc verissimè dicantur, non minus tamen verè affirmare licet, illum ipsum innatum & actuum calorem, quem singulis membris inesse diximus, in sanguine potissimum & spiritu tanquam in propria sede ac domicilio versari. Quis enim sanguinem nesciat per venas in omnes corporis partes distributum calefacere membrisque omnibus vitam adferre: & quo aliqua sunt magis sanguinea & maiorem habent huius humoris copiam, eo viuaciora esse atque ad omnes vitæ functiones aptiora. Detracto autem sanguine, vel magnopere minui vel omnino tolli calorem, omnesque vitæ actiones cessare, aut non ita strenuè exerceri? Spiritus quoque tenuissimum corpus est, & ad operationes omnes obundas tum optissimum, tum vero à natura in-

stitutum. Vt sicut venarum sanguis ad alimentum & nutrimentum refertur; sic arteriarum spiritus seu spiritalis ac purissimus sanguis operationes omnes vitæ, sensus ac motus perficiat: ac proinde maximum calorem habeat omnino necesse est.

Caloris principium & origo.

Quibus expositis haud difficilis erit explicatio difficultatis eius, quæ plurimorum ingenia torsit: ut principium atque originem primam caloris huius constituerent. Si enim originem quaerunt illius caloris, qui à natura singulis membris est insitus profectò dum insitum calorem dicunt, eum fatentur nasci cum illorum membrorum substantia, quibus est insitus. Consequitur namque animam, ut est in singulis membris. Quod si de alterius caloris origine disparent, qui influens & aduentitius cum dicatur, in spiritu & sanguine sustentatur: eam tandem in illo membro reperient, quod spiritus & sanguinis principium est. Et quoniam cor inter omnes conuenit spiritus officinam esse, & si sanguis (ut plerique medicorum opinantur) ex icore potius deriuaretur; cor tamen iure optimo diceremus primum esse caloris vitalis principium. Quoniam cum sanguis propria sibi & innata temperatione frigidus potius sit, quam calidus; à spiritu proximis arterijs contento penè totum videtur habere influente temperatione calorem. Alioqui cur sanguis ex vena extractus euolante spiritu congelatur? Itaque verissimè cor dici potest fons totius caloris, qui est in animalium corporibus. Est enim singula membra proprium aliquem innatum calorem habeant; istamen perexiguus est: & nisi augeatur à corde & confirmetur, operari profectò nequit. Quam ob causam cætera membra verè dixeris habere calorem passiuè, cor actiuè: quod non solum in se calorem sed vim quoque cæteris illum communicandi habeat. Et ideo fons caloris appellatur: Et sapienter Philosophus non modo in lib. de sensu & sensibili cap. 2. membrum hoc omnium calidissimum esse affirmavit: verum etiam in cap. 7. libr. 3. de partibus animalium scripsit esse caloris originem, & quasi lares & focum, quo naturæ fomites & primordia ignis natui contineantur, & seruentur. Atque idcirco in cap. 1. de animalium ortu, cor dixit primum omnium in animalibus gigni, & vltimum interire. Hinc est, quod in animæ perturbationibus, timoris præsertim, calor contrahitur ad cor; ad suum scilicet principium & fontem sese recipiens. Ac demùm ex vehementissimo hoc illius calore tum perpetuus in eo existit pulsus, qui ad arterias quoque deriuatur; tum continuata nec vnquam intermissa frigidi aëris inspiratio, qua pulmonum velut flabelli motu semper refrigeretur. Quod autem in animalibus cordatis est cor, hoc ipsum in cæteris est id, quod cordi proportionem responderet. Verim de calore satis: nunc de spiritu.

Cor totius caloris fons.

IN ESSE IN CORPORIBVS
nostris spiritum, qui calorem ad omnes partes deducat.

CAPVT XVII.



Calorem influentem dixi à corde in omnes corporis partes cum spiritu & sanguine ac potissimum cum spiritu effundi. Quare vterque sanè, sed maximè spiritus cum calore coniunctus est; cum hoc sit præcipuum natui caloris domicilium. Sanguinis ergo considerationem in aliò locum relinquam: nunc dicam de spiritu à nominis notione principium faciens. Vt enim còpures apud scriptores habeat acceptiones; hoc tamen loco aëreum quoddam corpus & vapori persimile, tenuissimum, minimèque conspicuum significat: arterijs scilicet, quæ densa omnino & crassa tunica constant, propterea inclusum à natura; ne efflare aut elabi possent, corpus aliqui tum tenuissimum tum calidissimum. Non est tamen simplex aëreum elementum. Tum quod naturalis, non elementaris, caloris officium est: neque ex simplicibus & elementari materia factum, sed ex sanguine. Tum quod singularissimum est animæ ad præstantissimam quæque opera instrumentum. Quam ob causam verè dictum est ab Auicenna in 1. tract. de medicamentis cordis cap. 2. esse quidpiam genitum ex elementorum permistione, vergens ad similitudinem caelestium corporum: quemadmodum Philosophus scripserat in cap. 3. libr. 1. de animalium ortu, in animantium corporibus elemento stellarum respondere. Accedit igitur eius natura ad superiorum potius elementorum conditionem, quæ tenuia sunt & rara: & ideo partim ignea est, partim aërea. Ignea quidem, quoniam calidissima est & plurimum ad agendum efficax: ut hoc ipsum in nostris corporibus præbet, quod ignis aut etiam caeleste lumen in mundo. Aërea vero, quia cum calore coniunctum habet humorem, non siccitatem: neque vrit, quemadmodum ignis; sed fouet; neque siccitati halitui, sed calefactioni & humectati vapori persimilis est. Itaque proximam sanguini, non cholerae naturam habet. Immo nil aliud est, quàm tenuissimus, purissimus, & maximè spirituosus sanguis. Vehementi namque caloris actione sanguis dextro cordis sinu à vena cava acceptus tantopere tenuatur, ut ab eo spiritalis hæc substantia in sinistram sinum euaporet: vnde mox per arterias distribuitur. Quocirca cum spiritus hic aërea dicitur esse natura, propterea dicitur, quia tenuis est & rarus, veluti aër: & sanguinea profusa natura, quæ in animalium corporibus aëris substantiam refert.

Spiritus quid.

Inesse porò in corporibus nostris hunc spiritum tum Philosophi & medici omnes consentiunt; tum certa ratio persuadet. Quare in lib. de principijs Hippocrates arteriam dixit ex corde ortam plus habere calidi, quam venam; spiritumque condere & conseruare. Extatque liber Galeni; in quo disputat, an cum spiritu sanguis quoque in arterijs natura contineatur: atque hoc arguimento

Inesse in nobis hunc spiritum.

gumento omnino contineri affirmat; quoniam si perforetur arteria, effluit sanguis. Aristoteles vero non solum pluribus in locis de hoc spiritu locutus est: verum etiam in cap. 1. 3. & 4. libr. 2. de animalium ortu, cum ita inesse affirmavit in animalium seminibus, ut penes ipsum tota sit vis formandi foetum. Et in cap. 6. libr. de animalium motu, in corde alia parte, quae cordi proportionem respondeat, illius officinam esse docuit: esseque aptissimum omnis motus instrumentum: quoniam facile in omnem partem pellitur & trahitur; estque gratis comparatione ignis, & levis comparatione caeterorum corporum. Ratio vero multiplex est. Primum quoniam visuntur in corporibus à natura fabricata aptissima ad humorem quempiam continendum vasa: neque ea corpore alio aut humore crassiore occupantur. Quid enim aliud in sinistro cordis sinu reperies? Quid in arterijs omnibus aut cerebri sinibus? Cur sinister cordis sinus arteriaque pulsent perpetuo, dexter autem sinus & vena nunquam? Deinde ubi est calor humidusque substantia, euaporatione aliquam fieri necesse est: agere scilicet calore humidamque substantiam tenuante ac resolvente. Perenni igitur nec unquam intermissa caloris actione ebullire sanguinem oportet sinibus cordis contentum, tenuari, euaporare, puriorēque illius partes à crassioribus separari. At insipienter egisset natura, si tenuissimam purissimamque substantiam perire ac dissipari permisisset: nec eam, ut plurima animalium vitæ comoda allatura erat, ita & studiosissime cōgregasset & diligentissime custodisset. Quò factū est, ut duplici cordis sinu mediōque septo duplex hæc sanguinis substantia separaretur; duplicique vasorum genere, venis crassior, arterijs tenuior, ad duplex animalis bonum per vniuersum illius corpus distraheretur: crassior ad nutriendum, tenuior tū ad calorem ad singula membra deportandum vitamque in illis fouendam & conseruandam; tum ad sensum & motum omnem efficiendum. Tota porro hæc in primis necessaria naturæ cura fuit in corde. Quoniam in membro calidissimo plurima futura erat euaporatio, tenuatio maxima, sedulāque prorsus separatio: tum verò ab hoc membro ad reliqua omnia deriuari calorem oportebat. Opus igitur fuit canales quasi & vasa inde ad omnes corporis partes deduci; aliquodque subesse corpus, quo velut vehiculo calor à corde transmitteretur: hocque tenue, fluidum, ad motum promptissimum, & naturæ similitudine calori nativo amicissimum esse oportuit: substantiam inquam tenuem, calidam & humidam, quam spiritum appellamus.

Hoc ipsum plurimæ animalium operationes testantur; quarum causā, nisi sit hic spiritus de quo est sermo, nulla planè explicari potest. Et enim ut cordis & arteriarū pulsus nunc prætermittam, pluribus post eundem demonstraturus à solo spiritu partibus illis contento & ebulliente proficisci: Neque enim crassum corpus facile moueretur, neque arteria perforata cessaret motus; nisi à tenui spiritu ageretur, isque arteria perforata euanelceret aut certè refrigeretur. Ut inquam hoc nunc prætermittam: in quoniam alio subiecto admirabilis illa feminis virtus fo-

atum formatrix esse possit? Quæ somni, quæ vigilia, atque à somno excitationis causa? Somnum constat crassioribus vaporibus conciliari, qui cum caput petunt, arteriarum ac nervorum meatus occupant; spiritūque diffusionē ad organa sensuum prohibita, cōcidunt organa & omnis operatio cessat. Mox verò vaporibus illis calore solutis atque consumptis patefcunt meatus, redit spiritus, aperiantur organa, operatur sensus, vigilat animal. Ex vehementi quoque imaginatione quidpiam in aliqua corporis parte re ipsa effici non semel vidimus. Id quoniam ob causam fiat, nisi propter spiritus agitationem ad illam usque partem ad eum effectum suscipiendum dispositam? Cur quæso nerui, qui ad oculos ducuntur à cerebo, manifestè perforati & quasi terrebati visuntur; nisi ut à cerebo ad membrum illud deducant spiritum? Cur idem illi nerui copulantur & commune foramen faciunt, antequam perueniant ad oculum? Qui sit, ut altero oculorum clauso aut eruto, non minus cernamus, quam cum utroque vteremur? An non ea est causa, quod tantundem spiritus ad vnicuique oculum transmittitur, quantum ad vtrumque antea mitteretur? Hanc enim solam esse causam viri sapientes definierunt: Ad extremum post diurnam contemplationem aliamque mentis agitationem videmus nobis vacuum quasi habere caput membraque omnia penè exhausta & arterias exinanitas: non aliam sanè ob causam, nisi quod spiritus multus consumptus sit. Interdum etiam velut tinnitum quandam sentimus in capite, propter eiusdem spiritus siccationem: aliaque id genus plura obseruamus.

Sed contemnendum non est medicorum decretum. Illi morbos quosdam esse statuunt ex sola spiritus læsione aut inopia profectos. Fit enim quispiam interdum cæcus, aut in eo saltem actionis genere imbecillus & mancus; nec vlla organi alteriusve corporis partis cernitur læsio: cogimurque affirmare propter nimiam humorum siccitatem id euenire, quæ liberam spiritus ad membrum illud humectandum transmissiōnem prohibet. Ephemeram quoque febrem in spiritu esse definiunt, absque humorum putredine in embriue inflammatione; ut in 2. libr. de crissibus cap. 13. Galenus loquitur. Sed iam naturam illius accuratè magis examinabo.

SPIRITVM ANIMATVM NON esse; eumque calidissimum.

CAPVT XVIII.



Abet quidem spiritus hic meliorem, quam elementa, substantiam: & tenuissimus cum sit, facile animati corporis partes omnes peruadit. Animatus tamen non est. Neque enim potest quidquam animatum esse, quod viuētis & animati corporis pars non sit. Quoniam anima est actus corporis vniuersi ut ex omnibus suis partibus coagmentatur. Iam spiritum corporis partem non esse, ex his potest intelligi. Primum is perpetuo fluit & refluit, in omnēque horas mutatur;

Somnium excitationis causæ.

Phantasia vis in corpore.

Cur non minus uno quàm duobus oculis cernamus.

Spiritum animatum non esse.

nec certum vnquam locum aut situm tenet in corpore; quemadmodum omnes ex partes, quæ propterea inter partes censentur, quòd alicubi determinatè, sursum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum, ante aut retro, interius aut exteriùs, corpori consistendo adsunt. Sed ipse vagus totum percurrit corpus, ad omnes illius partes fouendas, conseruandas, & vt quæque suæ naturæ & conditioni conuenienter operetur. Deinde nullam habet innatam sibi temperationem, sicut habent omnes partes: sed quidquid est, habet à sanguine, ex quo actione caloris immediatè resolluitur. Immo nil aliud est, quàm purissimus ac tenuissimus sanguis: cuius comparatione eodem modò se habere videtur, quo ad aquam & B terram se habet halitus ille duplex, humidus & ficcus; qui ex hoc inferiori globo calore solis eleuatur. Sic enim spiritus calore cordis, quod instar solis est in animali, extenuato sanguine separatur. At sanguinem anima præditum non esse copiosè alibi demonstrabitur: neque igitur spiritus anima frui potest. Si enim is haberet animam, semen quoque animatum esset, quod tum spiritu constat, tum regitur: semen autem omni caret anima.

Spiritus esse calidissimum.

Nunc illud cognoscere oportet: spiritum hunc erit inanimatus sit, aduentitio tamen & à corde hausto calore calidum omninò esse: immò corum omnium, quæ sunt in corpore, calidissimum. Omnium namque tenuissimum est & rarissimum: idque non iuapè & naturali conditione, sed caloris opera atque industria, cuius est mirus & singularis effectus: maximè cum ex calido item sanguine gignatur & calidissimo membro vasisque densitissimum corde & arterijs contentus optimè foueatur. Accedit, quòd totus ferè calor, qui à corde in reliqua membra transfunditur: cum hoc spiritu distribuitur. Quare cum is vehiculum, sit & subiectum totius penè influentis caloris, qui toto animalis corpore continetur, calidissimum omninò sit oportet; maioreque calore astuans, quàm ea omnia quæ ab ipso calore hauriunt. Est etiam vnicum & singulare instrumentum operationum, si non omnium, certè plurimarum: sensus inquam & motus; eaque primo calore indigent. Neque longiore opus est probatione; cum vel ipse tactus optimus huius rei iudex maiorem multò in arterijs, quàm in cæteris partibus calorem persentiat.

Duo duntaxat sunt, quæ rem hanc in dubium vocare possint. Alterum est flaua bilis: quam Galenus in 1. lib. de arte curatiua ad Glauconem ca. 9. humorem esse scripsit omnium, qui sunt in corpore, calidissimum. Alterum cor; quod calidissimum esse constat fontemque caloris.

An flaua bilis calidior.

Sanè Galenus, dum de flaua bili ita pronuntiauit solos humores considerauit; & eos inter se comparans calidissimum omnium esse biliosum verè affirmauit. Qui si cum spiritu quoque comparetur, non est quidem intensiore qualitate calidior: sed cum adustionem habeat & siccitatem fociam, quæ caloris veluti lima est, calidior ex operatione iudicatur. Habet enim is humor mordacitatem quandam. Spiritus autem calor, vt focium habet humorem, sic benignior est & suauior. Nam tum ex sanguine, humida materia, gignitur: tum eam conditionem postulat finis,

A propter quem à natura comparatus est. Siquidem & animalium vita calore & humido sustentatur & regitur: & operationes sensus ac motus calore & humore optimè perficiuntur. Video etiam medicos consentire, in corpore sano & quàm optimè temperato spiritum esse flaua bili calidiorē posse tamen nonnunquam tam vehementer aduri choletam, vt magis, quàm spiritus, incalescat.

In corde autem vel innatam vel influentem temperationem considerare possumus. Si sola illius caro, quoad innatam elementorum temperationem spectetur, maior sanè est calor spiritus. Ea namque terra prioris est, dura, grauis, & frigida. Quòd si influens quoque temperatio accipitur, adsciscaturque natiuus calor, qui membro illi inest, quatenus animatum: quidquid alij complures dicant, equidem maiorem cordi calorem inesse concedo. Quoniam vt omnis caloris fons est, & velut focus & lares in animali, quemadmodum Aristoteles loquebatur, sic in eo spiritus ipse gignitur. Qui cum animatus non sit, nullo sibi inito calore calet; sed eo solo, quem à corde, in quo genitus est, accipit: multò igitur calidius necesse est esse cor. Et ideo calorem habet permanentem & ad modum habitus, sicut cætera membra animataque partes. Spiritus vero transeunt duntaxat & ad modum dispositionis: cum non solum vt sit, sed etiam vt conferuetur calidus à corde semper pendeat.

An calidior corde.

Sic igitur se res habet. Cor calidissimum omnium est & velut fons, qui calorem suum in alia omnia effundit. Cæteræ partes exiguum calorem habent, qui accipit ad vitam nec ad operandum satis sit. Inter hæc medius est spiritus, qui calorem à corde acceptum ad singulas partes reliquas deriuat. Et cor quidem permanentem duntaxat & propriū calorem habet: partes autem reliquæ tum propriū aliquem & permanentem tum aduentitium alium & fluentem: spiritus proprium & permanentem nullum, sed aduentitium solum: quem non propter se accipit, sed vt ad alias partes deportet. Duplicique potissimum qualitate, calore & humore, quarum alteram habet ab efficiente causa, alteram à materia, ex qua gignitur, tota illius temperatio continetur.

Ve calor in omnibus partibus se habeat.

Spiritus temperatio.

DE DVPLICI SPIRITV, innato & influente: cuius restauratio.

CAPVT XIX.



Eterum dum huiusce spiritus originem intuemur, duplicè eum distinguimus. Alterumq. innatum & membris insitum appellamus; quod non per vllam caloris actionem illi adueniat, sed simul nascatur cum singulis. Quippe singulis, quòd animata sine caloreque ad operandum egeant, inseruit natura spiritum quendam, quo tum eorum vita consisteret, tum fieret operatio: maximè verò cordi tanquam præcipuo membro. Alterum influentem & aduentitium dicimus, quòd noua caloris actione excitatus ad illi prioris conseruationem & perfectionem à corde

Spiritus simplex.

carctis

cæteris membris addatur.

Innatus duplex

Porrò is, qui innatus esse existimatur, adhuc duplex est. Vnus in femine, ex quo animal gignitur. Alter in fœtu iam formato & singulis eius membris. De quo duo præsertim video disputari. Alterum, an posterior hic spiritus sit idem numero cum eo, qui erat in femine. Alterum, an tandiu in corporibus nostris conferuetur, quandiu viuimus. Prioris disputationis explicatio ex altera illa petenda est, quæ inter Aristotelem est & Galenum cæteròsq; ferè medicos; num semen in fœtus formatione euanescat & agentis causa duntaxat vim habeat, an verò materia quoque fœtus euadat. De qua quid ego sentiam, eo loco aperiam, in quo de animalium procreatione fœtusque formatione disseram. Nam si semen credatur euanescere, nequaquam eius spiritus retineri potest: sed cum, qui est in fœtu formato, alium quendam ab eo diuersum esse oportet. Sin autem semen materia fœtus euadat, consequens fortasse fuerit eundem illum spiritum in omnia corporis membra distributum à natura conferuari. Ego verò vt partem feminis crassiorem & sanguineam arbitror cum menstruo sanguine permittam fœtus materiam fieri; tenuiorem autem & spiritosam, quæ efficiendi vim habet, euanescere: sic innatum membris spiritum à feminis spiritu diuersum esse existimo, actione caloris ex feminis aut menstrui sanguine in singulis genitum. Ex quo necesse est consequi, spiritum illum, qui membris primus innascitur, nequaquam in tota vita conferuari; quidquid in differentia 99. disputet Conciliator. Etenim continenter & in singulas horas mutatur, tenuissimus est, leuissimus, atque ad euaporandum promptissimus, facillimèque dissipatur, mutationem omnem subit, & mox cum reliquo spiritu influente permixtus fluit & refluit, atque operatione consumitur.

Innatum spiritum à feminis spiritum diuersum esse.

Spiritum innatum in tota vita non conferuari.

Quomodo spiritus restauratur.

Hinc est, quod spiritus omnis restauratione indiget. Duobus autem modis restaurari eum ac renouari in lib. de utilitate respirationis Galenus tradidit: tum ex sanguine, alio atque alio spiritu in corde resoluto; tum verò maximè ex inspirato aëre. Is enim, inquit ille, per arteriam asperam ad pulmones deductus atque in illis preparatus puriorque effectus, ad sinistrum cordis sinum per venalem arteriam transmittitur; ibique perfectus euadit spiritus: vt in lib. quoque 7. de vsu partium ca. 8. persequitur. Quæ optimi medici oratio plures & grauiores difficultates continet, quàm quæ hoc loco examinari possint. Non enim est nunc de respiratione & eius vsu disputandum.

Non restaurari inspirato aëre.

Posteriorem tamen renouandi spiritus rationem, quam præcipuam esse Galenus voluit, intelligere potuisset optimis argumentis ab Aristotele confutata fuisse in cap. 8. libri de respiratione: aërisque inspirationem illam demonstratam ad solam cordis refrigerationem, non item ad spiritus renouationem pertinere. Quoniam si hic quoque esset inspirati aëris vsus, non statim expiraretur: sed interiore illo loco diligentissimè retineretur, vt ex eo procreari spiritus subinde posset: at spiritus tantundem expiratur, quantum inspiratum fuit. Deinde cum spiritus mistum quodpiam sit corpus (est enim tenuissimus sanguis) neque mistum vllum nutriri simplici, neque corpus simplex in mistum mutari queat: planè simplici aëre spiritus nutriri aut ille in hunc mutari non potest.

A Et in primo libro de elementis ipsemet Galenus tanquam certum accepit, nutrimentum omne debere esse mistum; nec esse quidquam quod simplici corpore nutriatur. Certè si spiritus posset aëre illo refici posset & sanguis, qui eiusdem cum spiritu naturæ est; posset & totum animalis corpus, quod sanguine sustentatur. Verùm quæ tanta est tam leuis nutrimenti necessitas? An non dexter cordis sinus à iecore sanguine hausto semper abundat, ex quo spiritui copiosissimo materia suppeditetur? quid est opus exteriorem & alienum aërem aduocare? An non cum ea parte animæ, quæ rationis est particeps, magis philosophabimur, si idem esse affirmemus commune toti corpori iisque omnibus, quæ in eo sunt, nutrimentum? Ex sanguine corpus vniuersum sustentatur, & viuit; & si quæ in eo sint, quæ vitam & animam non habeant, vt dentes, vngues, pili, cornua; cum tamen in eo continentur, communibus aluntur opibus: animata quidem membra parte illarum optima; reliqua verò parte refidua & minus bona. Sic enim in 2. lib. de animalium ortu cap. 4. naturam sapiens philosophus prudenti patrifamilias in eo fecit persimile, quòd ita rem familiarem dispenseret, vt optimus cibus detur liberis, deterior feruis, vilissimus fociis animalibus. Omnia tamen alimento eodem sustententur. quid igitur solus spiritus alienam substantiam querat, cum ex communibus horreis sustentari possit? Præterea vt in piscibus per branchias & fistulam suscepta aqua non gignitur spiritus; sed is ex solo sanguine procreatur: nec aqua ingreditur cor, sed exterius solum refrigerat: quidni de aëre quoque in animalibus cæteris idem credamus? Video etiam in hoc philosophos omnes & medicos consentire, spiritum vniuerso corpori & singulis eius partibus necessarium esse, tum ad conferuandam vitam, tum ad operationes perficiendas. At quicunque ratiocinari voluerit, facillè etiam intelliget, idem oportere esse principium quo res vnaquæque est, & conferuatur; quoque & naturam suam tuetur, & conuenienter illi operatur. Si igitur sanguis, non aëre, principium est & materia, quo viuendum hoc genus in natura consistit: illum ipsum sanguinem, (si quidem spiritus sanguis quidam est) non aërem, credendum est esse principium, quo illud ipsum & conferuetur & operetur. Ergò ex crassiore sanguine in iecore genito atque in vniuersum corpus distributo partes omnes nutriuntur. Ex quadam autem illius parte, quæ semper in corde suscipitur, maximo illius membri calore tenuata, gignitur & continenter renouatur spiritus; qui tum ad conferuandum, tum ad operandum, tanquam subsidiariæ copie, subinde mittitur. Neque inspiratus aëre sinum cordis ingreditur (quòdnam enim exterius & alienum corpus, præter sanguinem, illi totiq; animali nutrimentum familiare, nobilissimum illud membrum admittat?) Sed pulmonibus duntaxat susceptus calorem illum refrigerat, idemque ipse calefactus expiratur, vt, frigidior alius inspiretur. Verùm de hoc alibi.

Alimentum idè totis corpore.

C

NATVRALEM SPIRITVM
minime necessarium esse.

CAP. XX.

*Auicenna opi-
na de triplici
spiritu.*

Am cum altero medicorum principe altera mihi futura est disputatio. Nam cum de influente spiritu sermo est, qui ad innati perfectionem & refectionem refertur, Auicenna in primo ten. 7. Can. doct. 6. cap. 4. & in lib. de medicinis cordis, & prima parte canticorum, triplicem distinguit spiritum, naturalem, vitalem, animale. Naturalis ortum habet in iecore, per venas spargitur, & vegetanti animam, quam naturalem vocant, famulatur. Vitalis in corde & per arterias distribuitur ad efficiendum pulsum & omnium animalium vitam cōseruandam. Animalis demum in cerebro, p̄eque neruos ad sensum omnem diffunditur. Ac animale, quidem spiritum esse omnium postremum consentiunt omnes. At de duobus prioribus non item. Nam Auicenna primum vitus est vitalem facere. Tum quod cor illius fons & principium primum omnium membrum esse voluit. Tum quod spiritus is ad vitalem pertinet facultatem, à qua reliquæ omnes magnopere pendent. Alijs verò prior est naturalis. Quoniam cōctio, qua spiritus ille gignitur, prima est omnium operatio: nec solum vitalem spiritum antecedit, sed sanguinem quoque, ex quo ille principium ducit.

Galenus.

Galenus autem de hoc naturali spiritu dubitare vitus est, dum in 12. lib. de medendi methodo cap. 5. vitali & animali spiritibus cōmemoratis ita locutus est: quod si naturalis quoque aliquis spiritus est, is vitæ quoque in iecore & venis continebitur. Et Aueroes in comm. 81. & Can. cum omnino affirmasse credidit. Sed in introductione seu medico cap. 13. duos duntaxat priores manifestè constituit: Aueroesque in prim. colligit 13. & peritiores quique philosophi (si Alcinoium se pares, quem in libro de doctrina Platonicis cap. 17. dixisse reperies cibos in ventre degeri spiritu simul & calore attritos atque mollitos) nullum in iecore aut venis naturalem spiritum contineri ostendunt.

Naturalem spiritum necessarium non esse.

Quorum ego sententiam has potissimum ob causas libenter amplector. Primum quoniam solertissima spiritus conseruatrice natura nullum constituit vas, in quo aut spiritus ille gignatur, aut genitus conseruetur & per corpus distribuat. Nulla enim est in iecore, vt in corde & cerebro, cauitas, nullus locus ad eum vsum cōparatus venæque, per quas fortasse distribui posset, crasso semper sanguine plenissima sunt. Cum tamen vitali spiritui & animali aptissima vasa preparata conspiciantur. Deinde vegetantis animæ functiones nullo indigent spiritu. Tum quod materiales profus semper sunt. Tum quod natura suæ conditione spiritus generationem antecedit: cum fieri spiritus nequeat, nisi alimenti commutatione: quæ propria est illius animæ, & iecoris actio. Tum demum quia cum in quadam solum assimilatione atque alimenti in viuientis substantiam mutatione versentur, alimento duntaxat & calore singulis membris in sito opus habent. Naturalis enim is calor & alimentum breui tempore deuorat & in aliam substantiam mutat. Et an non in plantis & stirpibus absq. vilo spiritu totum hoc operationis genus optime absoluitur? Cum ne vl-

lum quidem in illis sit iecur, in quo spiritus producat. In animalibus adest quidem iecur, sed tamen singula quoque membra animam habent & calorem, tum ipsi insitum, tum à cordis calore actuatim; quo alimentum quoduis conficiant & mutant. Quocirca parum sapienter philosophabitur, quicumque spiritum illum propterea necessarium esse pronuntiauerit, vt per eum vis nutriendi à iecore ceteris membris communicetur. Nam hac virtus animam ipsam immediatè consequitur: & vt in singulis est anima, sic propria singulorum inest nutriendi facultas, cuiusque singulare instrumentum est calor.

Membris omnium euaporatio.

B At magnopere vereor, ne tota hac disputatio in ambiguo versetur; vocumq. multiplicitas vario vsu foueatur. Aut enim spiritum propriè nominare possumus, aut ampliori quadam significatione; qua quilibet etiã vapor aut halitus actione caloris ex materia humida excitatus intelligatur. Neque eos video, qui naturalem illum spiritum nominant, aliud quidquam significasse, quàm vaporem ex iecore & sanguine ascendentem; & in canticis aperta sunt, Auicenna verba. Quam euaporationem non solum in iecore fieri negandum non est; quin potius fatendum eandem membris omnibus communem esse; nec partim antipertinasi calorem eum iuuari, qui in omni operatione necessarius est. Modò euaporationem hanc cōcedatur propriè spiritum non appellari. Ita concludetur, duplicem duntaxat, si accuratè loqui velimus, spiritum nominari, vitalem vnũ, alterum animale: de quibus iam seorsim dicam.

DE SPIRITV VITALI

& animali.

CAPVT XXI.

S

piritum illum, qui gignitur in corde, atq. à sinistro eius sinu per arterias effunditur in omnes corporis partes, vitalem appellamus. Quod ab illo membro principii habeat, quod vitæ omnis fons est & origo atque ad calorem, & vitam fouendã distribuat, pulsumq. efficiat ac demũ facultati vitali famuletur. Qui verò in cerebro cōtinetur, & inde per neruos ducitur, animalis propterea dicitur, quod animalis operationis, sensus, & motus instrumentum sit: ab eoque membro ducatur, quod animalis virtutis, aut principium est, aut certè administrator.

Vitalis spiritus.

Animalis.

E Vterque autem spiritus in fetus formatione eoque primò insitus est illi membro; ad quod pertinet. Neque enim aut cor sine spiritu vitali gignitur, aut sine animali cerebrum: Sed vtriusque membri loca tenuissimo illo implentur corpore. An verò simul vterq. spiritus producat, an prior sit vitalis, deinde animalis; cōstitui nequit, nisi antea intelligatur, an cor prius, quàm cerebrum, formetur: qua de re alibi disputandum erit. Sed quoniam certũ est, cerebrũ nequaquã formari ante cor; manifestum quoque est, spiritum animale vitali priorem non esse. Quod si cor anteriore habeat ortum, cōsequens omnino erit, vitalem animali antecedere. Sin autem vtrumque membrum simul formaretur; neuter spiritus altero prior esset, nisi naturæ ordine: quia cū cor sit primum membrorum omnium, si non ortu, certè virtute, & actione, qua insuere debet in cætera, omniaque fouere, conseruare & adiuuare, vitalis item illius spiritus cerebri spiritu prior erit. Iam verò si influ-

Vter prior.

in fluxum illum spiritum consideres, qui caloris actione producit, quoque infusus ille renouatur: & conseruatur animalis profecto spiritus gignitur totus, nutritur, atque reficitur vitali. Plena namque est, à corde ad caput arterias complures reperere, & earum precipuis ad cerebrum sinus sili. quod argumento est, optimam parentem naturam in eum usum canales illos parasse, vt per eos à corde ad cerebrum spiritus mitteretur, quo frigidi membri, atque ad gignendum spiritum inepti refici spiritus posset, & conseruari.

Vitalis spiritus in animalibus mouetur.

Ergo vitalis spiritus ductus ad cerebrum in admirabili contextu preparatur: deinde interiores cerebri sinus peruadens in animalem mutatur. Mutatur, inquam, non substantia, vt aliqui medicorum crediderunt, sed accidente duntaxat, & qualitate. quoniam ob causam mutatis interdum nominibus vsi sunt veteres, peripatetici, & animalis spiritum vitale appellauerunt: vt Smplicius in comm. ad tex. 122. & Themistius in tex. 124. libri 2. de Anima. quæ enim alia vis, aut actio sit illius membris, nisi refrigerandi & humidandi, hoc est vehementiorem illius corporis calorem à calidissimo membro acceptum mitigandi? Mutatur autem, & temperatur; tum necessitate, quia cum ad locum frigidum & humidum venerit, refrigeretur, & humidetur necesse est: tum vero ita exigente fine, propter quem illuc spiritus ille ducitur. quippe vitales operationes maximo quidem calore opus habent: at animales, sensus, inquam, & motus, quæ per eum spiritum fieri debent, delicatam magis, magisque humidam & temperatam postulant. Et nisi cerebrum quoquo modo alteraret, & mutaret vitalem eum, qui à corde ascendit, operationes omnes, quæ deinceps illius ope fierent, cor, non cerebrum, sui principium, & auctorem agnoscerent, cerebrumque passiuè duntaxat se haberet, tãquam via, & canal, per quem spiritus à corde ad organa vsque sensuum mitteretur: cum tamen cor vitalium, cerebrum animalium, esse principium, aut certè administratorem, ac moderatorem, communis iam medicorum & philosophorum schola confirmet. Hinc efficitur necessarium, vt cum cerebrum nullius operationis principium esse possit, nisi per neruos, qui ad omnes corporis partes inde ducuntur (siquidem nihil inde aliud ducitur, nisi neruus) iure optimo affirmare possimus, neruos esse quoquo modo principia eorum instrumenta animalium omnium functionum: cumque operatio nulla fiat, nisi per spiritum illum à cerebro deriuatum; necesse est ab eo membro non minùs ad omnes partes animalem spiritum per neruos transmitti, quàm à corde per arterias vitalis deriuetur.

Vitalis spiritus animalis à cerebro transmittitur.

Eodem autem profus modo transmittitur: motu scilicet illo, quo vtriusque membri sinus contrahuntur & in seipsos comprimuntur. Tunc enim, vt cor in arterias, sic cerebrum à prioribus in posteriores sinus, & spinæ medullam, atque adeo in organa sensuum, & neruos omnes effundit spiritum. Nam etsi optici soli nerui manifestè perforati sint, is tamen spiritus tam est tenuis, & purgatus, vt animatam neruorum substantiam facile peruadat, & ad singulas corporis partes sensim penetret, ad omnem sensum, & motum sedulo exequendum. quod eò facilius mihi persuadeo; quia neruis illis ligatis, qui à posteriori cerebri

A parte descendunt, motus omnis cessat in corpore: eam nimirum solam ob causam, quod descendus spiritus impediatur. Sic enim ligata quoque arteria, pulsat quidem ea pars, quæ cordi coniuncta est; at pars reliqua omni pulsu destituitur, quod spiritum nullum suscipiat. quemadmodum igitur cor effuso per arterias spiritu operatur omnia, quæcunque ad vitam pertinent, ita cerebrum spiritu per neruos distributo exequitur ea, quæ sunt sensus, & motus.

Vitalis spiritus differunt.

Postremò ex his omnibus intelligitur, animalem hunc spiritum non specie, & natura, sed accidente solum, & temperatione à vitali differre: quòd is paulò tenuior sit, humidior, & calore magis temperatus: tum loco, quo continetur; principio, à quo penderet, modo, quo per corpus sparguntur; ac demum vsu, & fine, ad quem mittuntur. Alter enim in corde, alter in cerebro continetur; indeque originem habet. Alter per arterias ad calorem vitamque tuendam; alter per neruos ad sensus & motus actiones refertur. quæ omnes differentia accidentariae sunt.

IN ESSE IN VIVENTIBVS
humorem, quo calor sustentatur.

CAPVT XXII.



Apienter scriptum est ab Arist. in lib. de longitudine & breuitate vitæ cap. 3. viuentia omnia calore, & humore abundare, vitamque omnium duplici hac qualitate conseruari. Quapropter, vt in illis calor superat frigiditatem, sic humorem par est vincere siccitatem. Vnde etiam semina humida sunt: & in prima ætate membra omnia sunt humida; atque in tota vita momentis singulis siccantur, donec in siccissimam desinant senectutem. Cum igitur de calore, & spiritu, qui caloris vehiculum, & quasi portitor est, dictum sit, de humore quoque quo calor sustentatur, dicendum est.

Humor vitæ fundamentum.

Ergo inesse in animantium corporibus hoc humidum, tria precipuè testantur. Primum calor sua natura resoluit semper, & ascendit, nisi cum aliquo coniungatur, & in eo detineatur: conseruatur autem, & detinetur in humido pingui, & aëreo, eoque consumpto statim extinguitur, vt in igne manifestum est. Viuentium portò hic calor cum frigore sanè coniungi non potuit, propter generalem contrariarum qualitatum repugnantiam. Siccitatem verò si habuisset sociam, non modò non conseruasset, & fouisset animal, sed breui potius interitum ei attulisset membraque omnia conflagrasset. Solus igitur humor coniungi cum eo poterat.

Inesse in viuentibus hanc humorem.

Deinde viuentium corpora calida sunt, & densa, quia sic optimè operantur. Calori huic si siccitas adiungatur, non consistet densitas: sed calor maximam parabit sibi raritatem, adurèturque ac destruet viuentium vitam. Eadem quoque siccitas eum densitate coniuncta ineptum redderet.

viuens, & stolidum: quippe sua natura qualitas est inertissima. Humor aptissimè potest adiungi: nam & caloris mordacitatem, impetum franget, & densitatis duritiem emolliet.

Operationes omnes humor inuas.

Ad extremum aptissimus est humor ad operationes omnes animalium, siccitas ineptissima. Nam si corpus esset siccu, attrahi cibus non posset ad nutrienda membra, neque illis attractus applicari, nisi fortasse cu sumo animalis dolore molestiaq. quam ob causam in 3. libro de symptom. causis cap. 3. verè ratio cinabatur Galenus, appositionem cibi faciliorem multo esse in pueris, qui plurimo abundant humore; quam in ætate grandioribus, quorum corpora iam sunt sicciora.

Calor & humor vite propria.

Sensum item functiones imperfectissimæ essent, & minimè diuturnæ: quoniam aut alicuius rei susceptione fiunt, aut spiritus certè indigent diffusione. Et idèd qui siccoris constitutionis sunt, operationibus hisce funguntur ægrius, & ad eas citius redduntur inepti. Denique membrorum motus humorem requirit; propterea quòd ea eiusmodi esse oportet, vt facile flecti possint: eoque magis, quòd naturali conditione densa sunt, & solida. Itaque iure optimò Aristot. duobus hisce qualitatibus, calore & humore, seu calido pingui, totam animantium vitam contineri affirmavit, duasque his cõtrarias, frigus, & siccitate, qualitates esse maximè perniciosas. Quia dum calorem extinguunt, & humorem exhauriunt, mortem iuuenibus omnibus adferunt. Eaque quæ maiorem habent calorem, & humorem magis copiosum, vt ægrius refrigerantur, ita longinquioris vitæ sunt.

A cui adiungitur, & in quo natiuus animantium calor conferatur. Et idèd qualitas altera vitæ existimatur esse. quia cum in calore potissimum consistat vita, is humoris hoc genere sustinetur: & tandiu viger in corpore, quamdiu adfuerit humor; eoque exhausto ipse quoque extinguitur. Tertius ex his efficitur humor impurus; hoc est, aereus quidem, sed aqueo permixtus; in aquatilibus præsertim, & phlegmaticis animalibus. quòque plus fuerit aqueæ humiditatis permixtum, eò plus boni, & aerei humiditatis euanescent, minusque syncerum erit id quod relinquetur, sed quoniam solus aereus ad vitam conferuandam pertinet, neque hic tertius vitalis est, nisi quatenus quandam aerei humoris partem habet: is solus intelligendus est, dum aut vita in calore & humore veritari pronuntiat; aut omnino innatus, & primigenius humor nominatur.

Impurus.

B Dum autem humor alter proponitur, quem influentem, & aduentitium dixi; is quoque duplex distinguitur. Sed qui ex membrorum euaporatione, aut spiritu corpus vniuersum irrigante, membris quibusque accedit, & vitalem, atque animalem virtutem iuuat; minoris omnino momenti est. Potior alter existimatur, quem alimentum adducit, tum ad natiuum calorem pascendum; tum ad primigenium illum humorem renouandum membraque omnia restauranda, atque vt vno verbo dicam, ad vniuersam vegetantis animæ vitam operatione & studio conferuandam. Hic igitur est multiplex in nostris corporibus humor. De eo, qui spiritu continetur, satis antea dictum est. Alimentarius ad nutritionis potius cognitionem pertinet. Hoc loco de innato, & primigenio dicendum superest.

Aduentitius humor.

DE MVLTIPlici HVMORE in animantium corporibus contento.

CAPVT XXIII.

Vinorem porò in animantium corporibus duplicem agnoscimus. Innatum alterum & primigenium; quem radicalem plerique nominant; quòd singulis membris in ortu primo radicatus quasi initus sit. Alterum influentem, & aduentitium. Innatus & primigenius est is, quem ex humida illa menstrui sanguinis & seminis massa, ex qua formatus est fetus singula membra primùm habuerunt. Is num ad membrorum substantiam pertineat necne, ex iis iudicandum erit, quæ antea de calore posita sunt. Eadem enim de vtraque difficultate debet esse sententia. Sed hic multiplex est. Vt animantium corpora ex quatuor elementis concreta sunt, in quibus duo sunt humida; ita duplicem humorem continent. Alter est aqueus, frigidus, tenax, viscosus: quo tanquam vilco terrea corporis partes copulantur, & coherent: non item pascitur calor, quin potius extinguitur, & opprimitur; tum pugnace & contario frigore; tum crassitudine nimia quæ illius expirationem impedit. Et idèd neque calore consumitur, sed integer penè totus conferuatur: vt partium copulatio teitatur: quæ semper eadem est, vel etiam animali mortuo. Alter aereus, calidus, humidus, & pinguis; aptissimus ad ignem, & calorem quemuis fouendum, & sustentandum. Atque hic est,

Innatus humor & primigenius.

Aqueus.

Aereus.

QVOD SIT PRIMIGENII humoris subiectum.

CAP. XXIII.

D Rimùm autem explicandum est illud, quòd in dubium vocasse legimus Diuum grauem olina medicum. Is in vno quoque viuento, immò & in quolibet misto, duo credit corpora reperiri, re ipsa & numero inter se distincta, alterum caloris, alterum humoris subiectum. Cum enim calor in humorem agat, eumque continenter depascat, nil argumentabatur ille, agere potest in seipsum, sed omne agens in aliquid à se diuersum agit. Proprium igitur, & diuersum necesse est esse aliquid harum qualitarum subiectum.

Prim. opinio.

E At facile videre potuisset, si ita res habeat, aliudque caloris, aliud humoris subiectum sit, aut aliarum qualitarum, quæ agere vicissim possunt, nullam ex illis vnquam permissionem futuram. Hæc enim vnum commune omnium subiectum postulat. Deinde si vita, & anima calore & humore sustinetur, quis non videt, nullum corpus nullamue corporis partem vitæ, atque animæ participem esse posse, nisi calorem, & humorem habeat? quare si seorsim sint, & calor & humor, atque in diuersis subiectis & corporibus collocetur, neutrum illorum animatum erit, neutrum viuet, quippe altero vitæ principio destitutum. Sed calor omnis annon in humore sustentatur; enee

Confutatio.

Abque

etque humore petre simul cum eo calorem necesse est? Non ergo potest calor in villo corpore conseruari & vigere, quin illud ipsum humidum sit. Idem quoque non parum errauit Dinos, quod innatum humorem credidit à vitali calore consumi: contra quam omnino eueniat, vt foueatur potius & restauretur, quam contumatur & dissipetur, quemadmodum antea disputatum est. Verum quicumque tandem sit calor, qui humorem eum depascit, annon necessario sit, vt contraria & pugnantes qualitates in vno eodemque subiecto contendat ac sese vicissim interimant? nec tamen idem in seipsum agere existimatur. Quis enim diuersarum & contrariarum qualitarum pugnam actionem esse dicat eiusdem in seipsum? Ergo vt rem vniuersam in caput referamus tantum abest, vt vnum & idem esse non possit calor vitalis & humoris primigenij subiectum, vt id maxime necessarium sit: cum hæc duæ qualitates tam recto sint societatis vinculo colligata, vt nec calor nisi in humido sustentari queat, nec humor conseruari, nisi à calore momentis singulis foueatur ac renouetur.

Verior sententia.

Quæ si ita sunt, profecto ea omnia, quæcunque de caloribus subiecto in superiori disputatione posita sunt, de huius quoque humoris subiecto intelligere oportet. Hoc vnum addam posse animalium corpora, aut in prima illa ætate considerari, quapropter nimiam humoris vbertatem tota sunt mollia & infirma; aut in gradiori iâ & perfectiori conditione, qua membra omnia solidiora sunt, & robustiora, magna illius humoris parte consumpta. Etenim in prima ætate manifestum est, primigenium humorem per corpus vniuersum in partes eius singulas dispersum esse: quæ est causa, cur nihil durum sit, nihil solidum, nihil consistens; sed tenera omnia & caduca, vel etiam ossa. Verum is humor nequaquam est membris omnibus naturalis & debitus, sed originalis & ex primordiis natura desumptus: dum ex eadem feminis, menstruique sanguinis massa tota humida efformata fuerunt omnia, nec dum elaborata neque ad perfectum adducta statum, in quo magna illius humoris pars assumpta fuerit. Quocirca in ætate altera, in qua corpus magis siccatum est & perfectum in carne præsertim carnosisque partibus primigenius humor conseruatur. Ossa enim nerui, cartilaginee, aliaque his similes partes, vt sua natura sicciores esse debuerunt, ita minus humoris in ortu primo acceperunt; qui facilius & citius siccatur, quam copiosior is, qui est in carne. An verò totus illarum partium primigenius exhauriatur, solusque super sit alimentarius humor, magno opere disputari potest: mihiq. videtur rationi per quæ consentaneum affirmare, si nondum ea ætate, aliquando certe, antequam totus carnis humor sumatur, vniuersum eum siccari, qui siccioribus hinc partibus continetur. Quippe certa ratio persuadet minorem humorem facilius, & citius siccari, quam eum, qui est copiosior: illumque conseruari diutius, qui cum debiliore siccitate coniunctus fuerit. Hoc verò exinanito, interiori quidem ex alimento hausto humore collabunt partes eæ, sed primigenio exterius duntaxat lenientur à proxima sibi carne; vdaque potius, quam humidè erunt: quod ad tuendam illarum vitam, quæ calore, & humore dicitur conseruari, satis profectum est.

Caloris & humoris differentia.

Itaq. hoc inter calorè interest, & humorè quod

natiuus calor per omnes viuèntis corporis partes in omni vita diffusus est: tum quod animam in omnibus cõsequatur: tum quod fouere omnes debeat, omniumque operationib. sit cõprimis necessarius. Humor autè est alimentarius adit omnibus, quod alantur omnes: is tamen, quia primigenius est, in prima quidem ætate omnibus inest, at procedente tempore in quibusdam solum, quæ naturali cõstitutione humidè sunt, intrinsecè continetur; in reliquis siccioribus duntaxat extrinsecè. Verum hoc euadet planius ex iis, quæ de huius humoris resolutione subiiciam.

QUOMODO IS HUMOR IN SINGULIS MEMBRIS CONSUMATUR.

CAPVT XXV.

Natum singulis mēbris humorem per omnes horas cõsumi, ac penè extingui; vel à calore elemētari & sicco, qui est in viuente; vel à vehementiori calore externo, vel à frigore vel ab alia simili causa, constat iam ex iis, quæ de calore antea disputata sunt. Iam quoniam posui, humorem hunc non esse intrinsecè in omnibus partibus, sed in carnis duntaxat, reliquas verò extrinsecè potius humiditate perfundi: illud consequens esse videtur, resolutionem, & cõsumptionem humoris, eiusque reparationem, quæ in ossibus, neruis, & aliis eiusdem generis partibus sunt, dum continenter nutriuntur, esse potissimum in alimentario humore, hincque esse illum, qui præsertim destruitur ac reficitur. Quia tamen vita in calore consistit & humore, non quouis, sed primordiali & innato, necesse est hanc ipsam cõsumptionem ac restitutionem humoris in his partibus concedere, sed tamen longè alia ratione, quàm in iis animaduertamus, quæ carneæ sunt, & intrinsecè humorem habent. In his enim intrinsecè fit cõsumptio & reparatio: qua substantia ipsa mēbrorum mutatur, dissipatur, & reficitur, quia corrumpitur illud humidum, quod illis erat intrinsecum, & aliud in eius locum ex alimento sufficitur. At in reliquis extrinsecè tantum mutatio fit, & siccantur solum quoad exteriorem humiditatem, quam à proximis membris accipiunt: quoad siccà verò substantiam humorè solum alimentarium mutant.

Consumptionem & reparationem esse maxime alimentarij humoris.

Non quoniam in omnibus partibus humorem conseruam.

Hoc ita esse, multa mihi persuadent. Primū partes eæ temperationem habent omninò siccam, aut si quam humiditatem habent, ea tenax est & aquea, minimèque ad nutriendum calorem apta; quin potius ad suffocandum & opprimendum aptissima. Deinde in magna aliqua fame corrosione quandam in nostro corpore sentimus: non ossium, neruorum, cartilaginū, sed carnis & carnearum partium: neque ex inedia priores, sed posteriores partes conficiuntur: non ergo illæ sed hæc potius partes sunt illæ, quæ verè & intrinsecè cõsumuntur, indigentque restauratione. Tum verò si casu, aut vulnere, aliaue quauis ratione frangatur, aut à corpore separetur aliqua prioris generis pars, vt os; nunquam in eum mēbro reparari potest, neque cõsumptione neque medicamentorum virtute. Quod eam videtur habere causam; quia cum in illis partibus primigenius hic humor consumptus sit, neque intrinsecè continetur; earum reparationem contemnit natura; cum illud non habeant, quo vita

Cum ossa fracta non reparantur.

in primis sustentatur. In pueris autem, in quibus partes omnes hoc humore fruuntur; nec earum vlla tantopere adhuc siccata est, vt humorem primo sibi concessum profus amiserit; ossa fracta, & reliquæ omnes partes facile reparantur: quoniam cum principium illud & fomentum vitæ habeant, natura de illis est magnopere sollicita. Postremo ea est mihi non leuis coniectura, quod in graui aliqua & longa infirmitate, quæ animalis natura plurimum conflictetur, maxima caloris atque humoris innati fiat iactura, carnem, & carneas partes videmus extenuatas fuisse ac planè consumptas; ossa, nervos, & id genus alia; magnitudinem eandem & integritatem seruasse; in eoque duntaxat fuisse mutata, quod non nihil siccata sunt: propterea quod dum partes humida fuerunt consumptæ, effectum quoque est, vt ràm copiosus humor ad ossa, nervos, & sicciores partes non potuerit deuiri. Hoc ipsum in cadauere quoque animaduertas: in quo carnem absumi, ossa siccati duntaxat, sed propriam quantitatem, & substantiam semper videas retinere.

Aliquas partes non semper nutriunt.

Quo loco nequaquam ego illum reprehenderem, qui ossa, nervos, & alias similes partes post consentientiam statim aut exhaustum in illis humorem primigenium, non nutiri amplius affirmaret; quod non debeant amplius humidum illud, quod consumptum habeat refarciri: verum aliqua solum extrinseca madefactione indigere: & idè librum in duas partes diuidi; quarum altera nutriat, & reficiat reliqua membra, altera quasi ros madefaciat, & exteriori quadam humiditate perfundat eas, quæ nutritione non egent. Omnino tamen existimo eas quoque per omnem vitam nutiri: propterea quod calorem habent, quo alimentaria humiditas momentis singulis dissipetur, & siccitatem magnam; qua & hæc ipsa humiditas oppugnetur, & altera illa exhauriatur, quam eæ partes extrinsecus accipiunt à membris humidis sibi vicinis. Et idè tum hæc humiditates crebro instaurari debent; tum illæ ipsæ partes animatae sunt, & calore præditæ, quo perficere nutritionem possint.

QUOMODO CONSUMPTVS refarciatur.

CAPVT XVI.

Verum enim verò cum ostensum sit primordiale hunc humorem perpetuò consumi, & confici: sapienti que dictum sit, adione natiui caloris eum recreari, & refici: hoc iam an ita sit axaminandum est. Refert Conciliator differentia 112. non desuisse, qui crederent humorem consumptum nullo modo restaurari posse; neque alimentum in humoris primigenij naturam mutari: sed iuuare duntaxat impediendo detinendoue illius consumptionem; dum ipsum obicitur calori, qui humorem innatum deuorabat, si enim inquebant illi, humor ille recuperari posset, posset nimirum animantium vita reddi perpetua.

Prim. opinio.

Secunde opin.

Ceterum cum viuientia nutiri certum sit, atque alimentum in membrorum substantiam mu-

tari; ineptum est hac de re dubitare. Itaque fuit semper tum philosophorum, tum medicorum consensus, humidum consumptum alimento refarciri: atque hanc ob causam nutriendi facultatem fuisse viuèntibus à natura tributam, vt eorum vita fieret diuturnior, continua dissipare substantiam instauracione. Quin etiam ex iis permulti quoad naturales & animales virtutes reponi posse dixerunt aquè bonum & perfectum humidum; immò melius & perfectius eo, quod fuit consumptum. Quamquam id in vitali virtute, quæ ad vitam pertinet prorogandam, fieri non posse contenderint, sed continenter labi & ad mortem tueri. Alij demum virtuti quoque vitali hoc ipsum videntur concedere; cum absolute pronuntiant, aquè bonum & melius humidum restaurari posse.

Non semel equi bonum humidum reponi.

Equidem duo constanter affirmabo. Alterum est, humidum hoc posse interdum melius & perfectius, quam alio tempore, renouari. Tum quia potest interdum natiuus calor ab externa quapiam causa impediri, eiusque operatio infirmari: quo impedimento sublato melius & perfectius operabitur, sic hyeme melior est, quam æstate, cibi coctio, & verno præsertim tempore sanguis & viuientium corpora omnia renouantur & quasi reuiviscunt: postque ægotationem recuperata sanitate perfectius multò restauratur humidum, quam eo tempore, quo virtus morbo afflictabatur. Tum quia humor quoque ipse interdum non purus est, sed pestibus affectus qualitatibus; vt in cætico, leproso, aliisque similibus morbis laborantibus; post verò purior est & syncerior. Tum demum quia tota hæc naturæ restauratio magnopere pendet ex bonitate & perfectione alimenti, interdumque melioribus, quam alio tempore, alimentis vescimur; neque dubitari potest melius ex illis & perfectius humidum corporibus nostris reponi. Quam ob causam bestia verno tempore renouatur tota & earum corpora pleniora fiunt & obarsiora; quod optimis herbis vescantur.

Alterum est, absolute tamen loquendo & in ordine ad vitæ durationem, nullo vnquam tempore posse melius humidum restaurari, quam esset antea, immò nec aquè bonum; sed deterius semper. Nò modò quia si secus esset, posset animantium vita perpetuò conseruari, & senex reuiviscere. Verum etiam propterea quod natiuus calor, qui restaurare humorem debet & alimentum in membrorum substantiam mutare, momentis singulis debilior fit & simul cum humore ipso innato consumitur, atque ab alimento, in quod agit, aliquid semper detrimenti patitur: ac proinde semper fit ad operationem infirmior, quamuis aliunde nonnunquam magis, quam alio tempore, viuatur. Quocirca in animalibus præsertim tres illas vitæ partes præcipuas, tresque mutationes distinguimus. Primam qua crescunt & grandiora fiunt eorum corpora, quandiu robustior est calor, & plus reponit, quam detractum fuerit. Alteram, qua in eodem statu consistunt. Postremam, qua minuitur. Calore scilicet primùm nonnihil debilitato, & tandem solum alimenti commutante, deinde magis fracto ac penè extincto. Vt quemadmodum minuitur calor, ita quoque breuior animantium vita relinquatur, tandemque finem habere cogantur. Quod vitæ spatium, vt pluribus post ostendam, in quibusdam breuius est,

Tres vitæ partes.

est, in aliis longius; vt singula plus caloris & humoris habuerint, & vtraique qualitate diligentius conseruauerint atque ab hostilibus & contrariis causis defenderint, ac demum optimis alimentis minimèque calorem innarum obruentibus temperatè quaque vsa fuerint.

Humorem innatum ad vitium vsque vitæ conseruari.

Non ignoro non deesse, qui humorem illum, quem in prima formatione hauserunt corpora nostra, nequaquam credant ad vltimum vsque vitæ aliqua saltem ex parte conseruari: propterea quòd perexiguus sit, nec tandiu videatur posse ab interitu vindicari. At quid aliud est naturalis mors quàm humoris huius consumptio calorisque extinctio? & vndenam naturalis vitæ periculus fieri poterit, nisi ex humoribus huius & caloris quantitate petatur? nam qui copiosiore humoris habent abundantiorèque calorem, idè diuturniorem degere vitam existimantur; quòd in eorum corporibus diutius conseruetur is humor, qui caloris & vitæ fundamentum est. Quòd si is quantitate exiguus est, virtute certè plurimus erit: omnique studio & industria fouebitur, augetur atque ab alimentario humore restaurabitur; qui tum eo coniunctus nequaquam illius naturam mutabit, sed potius tuebitur. In plantis verò, quæ ex minimo interdum semine nascuntur, primus ille humor in radicibus maximè, internodiis, & similibus partibus conseruetur. Denique ad hanc sententiam confirmandam illud est non leue argumentum, quòd cum in duabus illis qualitatibus omnis vita consistat, abeuntibus illis subsistere vita non posset: & nisi eadem omni tempore permanerent, non esset idem numero viuens in tota vita, sed de hoc alibi pluribus differendum est.

DE SEXYS DIVERSITATE,
marisque & feminae temperatione.

CAPVT XXVII.

Dixi de iis, quæ velut principia sunt viuentium temperationis; de calore inquam naturali, de spiritu, deque humore primigenio. Còsequens est de iis dicere, quæ cum tēperatōne coherent & ab ea proficiuntur, ad eamque ignoscendam magnopere pertinent. Statim autem mihi sese offert diuersitas illa sexus maris & feminae, quæ ex temperationis diuersitate nascitur. Non ita tamen, vt mas & femina, siue animalis, siue viuentis, essentielles differentie sint. Nam vt Androgynos mittam, in quibus vterque sexus reperitur, nec tamen in vno & eodem plures essentielles differentie esse possunt: neque in omnibus viuentibus reperuntur, vt in plantis, neque in animalibus pluribus, vt in 4. de animalium historia lib. cap. 11. & in 2. de eorumdem procreatione cap. 4. Philosophus confirmauit. Et in iis, in quibus visuntur eiusdem speciei sunt mas & femina; vt est in tex. 25. lib. decimi metaph. cum tamen essentielles differentie speciei differentiam vbique fallant, sumuntur enim essentielles differentie ex forma, maris autem & feminae forma eadem est, materia diuersa; aut potius materia conditio, quatenus habent corpora alio atque alio modo disposita. Et si enim

Vt differat mas & femina.

A partibus quoque quibusdam corporis differre videantur, ea tamen aut propria & essentielles partes non sunt, sed impropria & quæ post generationem nuncupantur; vt barba, crista, calcaria, exertientes, cornua.

Aut genitales partes, quibus maximè distinguuntur, optimaratione ostendit Galenus in libro 14. de vsu partium cap. 6. & libro 2. de semine cap. 5. & in libris de anatomicis administrationibus eadem in vtroque sexu prorsus esse, soloque differre situ: quòd maribus extra abdomen pendeant, feminis intra coloratae sint, vterique ceruix inuersa pudendum virile referat, ac inuersum item fundum seroti similitudinem habeat. Ita vt si aut hæ producentur extra, aut illæ ad interiora contraherentur, tantundem ferè in vtroque sexu conspiceretur esse.

Diuersa genitalium forma.

B Quod in femina quidem imperfectionem libuit Galeno referre: vt quemadmodum talpa, & animalibus nuper natis nondum perfectè formati, oculi sub membrana latent, sic genitalia membra intus contingantur in femina. Sed longè aliam esse huius rei rationem mox docebo. Et alio quodam modo apud Arist. in libro 4. de animalium ortu cap. 1. scriptum est. matrem & feminam virtute quadam & imbecillitate definire. Quod mas animal illud sit, quod coquendi & fecernendi feminis vim habeat; & idè in procreatione vim obtinet efficientis causa; formamque largitur proli: femina verò illud, quod cum tantam vim non habeat, vt semen possit fecernere, maris semen suscipit: & cum aliud negant procreare, procreantis alterius actionem sustinet: ne si non sit id, quod gignat; illud certè sit, in quo gignatur id quod gignitur. Quocirca cum in cap. 3. eiusdem libri, tum in cap. 1. libri 2. diuersitatem hanc sexus doceridem auctor non esse aliam ob causam in natura, quàm propter procreationem speciei que conseruationem. Alioqui si mas & femina per se considerentur, solus mas per se quaritur & procuratur à natura; femina velut monstrum & oblectum animal & imperfectum existit; dum propter feminis defectum & imbecillitatem produci mas non potuit.

Vnde est genitalium diuersitas.

D Propterea non in omnibus viuentibus inest sexus: quòd permulta sint, quæ exputrescente materia procreantur facile, & allequatur id, quod in ea specie perfectum est. Plantæ verò vt inmobiles hærent terræ; neque congregi ad gignendum possunt; & earum semen in terram iactum plantam procreat. Quare cum tam facilis & expedita procreatio esset, frustra nimirum laborasset natura in alia per sexus diuersitatem procuranda. In perfectioribus præsertim animantibus, quæ alio ferè modo nequaquam poterat gigni, summo opere id agendum fuit.

Cur non in omnibus viuentibus sexus.

E Vniuersè autem credendum est matrem feminam calidiorem esse. Quod tum ex tactu, colore, adipè, pilis, membrorum amplitudine, & rectitudine, soliditate, ac robore, operatione omni, cæterisque omnibus huius rei argumentis; tum ex corporis quantitate ostenditur. Maiora enim euadunt propter calorem marium quàm feminatum, corpora. Tum ex principiis generationis, ex loco, in quo gignuntur; ex motu in vtero; ex partus tempore, & consequente purgatione cognoscitur. Nam & ex calidiori femine, locoque calidiori gignitur mas & paucioribus diebus, &

Mas calidior femina.

paucioribus diebus, & citius mouetur in vtero, citius excluditur, breuiorque purgatio est: quæ omnia caloris existunt opera. Tum verò confirmat Galenus ex partium genitalium situ excrementique plurimi sanguinis inquam menstrui, abundantia.

Car. diuersus genitalium situs.

Nā vt calor ac spiritus est ampliare, extendere & producere, sic in maris formatione, inquit ille, partibus omnibus intus delineatis vniuersus spiritus foras erumpens genitales partes intus formatas foras protrudit: quod in frigidiorē fœmina non item euenit. Eandem etiam ob causam fit, vt cum minus coquere possit, multò abundet in cocto, & excrementoso sanguine, quem statim temporibus natura purgat.

Prior hæc Galeni ratiocinatio magnopere mihi suspecta est. Neque enim in extrema operatione credendum est tam vehementem esse spiritum, vt peritonæum & abdomen totum rumpe-re possit & partes illas protrudere: vmbilico potius aliæ parte cum minore labore expiraret: & solus facilis euaderet, quàm solida membra inuertendo perque angustum locum trahendo. Neque illa sola membra, sed intestina quoque non minus protruderet: præsertim cum hæc ad motum promptiora sint. Denique adsunt Androgyni vtrumque partium genus ostentantes. Sic igitur habeto. Genitales illæ partes propterea ita dispositæ sunt & formate, mari extra pendent, fœminæ intus condite; quoniam ita ad sobolem procreandam oportunitas erat & necessarium: vt alter agere posset, & semen conferre; altera illud suscipere, fouere, & conseruare, conceptumque factum alere & gestare.

Altera Galeni ratiocinatio proculdubio vera est, & multò ante ab Arist. explicata in cap. 1. lib. 4. de animalium ortu. Etsi enim contrarium aliqui inde confecerint; quoddam sanguis calidus sit, atque vbi plus est sanguinis, plus caloris esse oporteat. Hi tamen docendi sunt, non quamlibet sanguinis copiam calidæ constitutionis indicium esse, sed solius boni, vitis, accuratæque cocti sanguinis. Mēstruus autem ille sanguis inutilis protius est, incoctus, excrementosus, superfluus; & ideo purgatur & eicitur à natura. Hocque caloris inopiam testatur, quippe propterea fit, quòd sanguis imbecilliori fœminæ calore coqui satis non potuit: & ideo penè corruptus expellitur.

Menstrua fœminæ purgatis.

Sed pluribus aliis in locis idem ipse philosophus eandem sententiam confirmauit. Nam in 29. problem. sect. 4. cum quæreret, cur hęc viri, ætate fœminæ sint ad venerem propensiores, eam respondit esse causam, quoniam viri calidiores sunt, siccioreque natura, fœminæ humidiores & frigidiores. Quare viri æstiuo calore franguntur & debilitantur, hęc robuste sunt. Contra fœminæ propter caloris inopiam humorem hęc habent concretum, ætate autem copiosiori calore irritatur Venus. Rursum in problem. 10. sect. 10. cum quæsiisset, cur mares fœminis corpore grandiores sint, respondit, quia illi sunt calidiores, calorque augendi vim habet. Et in libro de longitudine, & breuitate vitæ cap. 3. eandem exposuit esse causam, cur mares longinquioris vitæ sint. Quorum vtrumque intelligendum est plerumque ita esse, & vbi cætera omnia fuerint paria. Alioqui in cap. vltimo libri 4. de animalium historia, ab vtraque hac generali

propositione multos excipi voluit, in quibus fœminæ & corpore grandiores, & viuaciores maribus sunt. Quin etiam canes Laconicos in cap. 20. libri 6. eiusdem operis, minus minuerè affirmauit, quòd magis, quàm fœminæ, laborent. Et in cap. 11. in equorū genere propter coitum, mares breuiorem vitam habere. Quæ etiam fuit causa, vel in cap. 16. libri 1. de animalium ortu in insectorum genere, ea quæ coeunt, habere fœminas tradidit maxima ex parte maiores maribus: atque in piscibus, ouiparilque quadrupedibus hoc ipsum ferè obseruari: quoniam ouorum copiam ea gestare oportet. Iam verò in 4. libro de animalium procreatione cap. 1. mares esse fœminis calidiores hic idem Philosophus ex eo deduxit, quòd coquere possunt & fecerere semen; fœminæ non possunt. Et in 3. de partibus cap. 1. propter caloris abundantiam robustiores esse & animosiores. Et cap. 4. phisiognomi libelli, eos esse in omni virtute meliores. Quam ob causam in 1. lib. Polit. cap. 3. & 8. fœminis eos præfecit; tanquàm à natura ita conformatos, vt illis dominarentur. Denique ex hac ipsa causa proficitur, vt membrorum omnium cōstitutio, totiusque corporis conformatio multò sit perfectior, & ad omnes operationes aptior in maribus, quàm in fœminis.

Tum quia calor est is, qui formationem totam moderatur, membræque omnia fingit & temperat. Tum quia vbi plus est caloris plus item necesse est aëri humoris esse, in quo is calor suscitatur & vigeat: minus autem aquæ, & frigida humiditatis, quæ calori inimica est. Vnde corpus existit tum ad diuturniorem vitam, tum ad operandum magis accommodatum: quod & nimio humore aqueo, qui abundat in fœminis, consumpto magis est temperatum; & plus humoris aëri & caloris habet: estque rarijs, & ad perspirandum aptius: magisque porosum; & pluribus ac amplioribus patens meatibus, tum ad suscipiendum alimentum, tum ad expellenda excrementa. Et ideo copiosior emittit sudorem, quòd & calidius sit, & porosius: eamque fortasse ob causam purgationem mensuram fœminis prouidit natura. Venæ quoque maribus infunt, ampliores, copiosiore sanguine bono & vili plene. Tum corpus robustius vireque firmiores propter meliorem scilicet corporis constitutionem, & partium omnium ac membrorum comparationem. Vnde Hippocratis illud in Aphor. 43. libri 7. Mulier ambidextra non fit, propter caloris imbecillitatem, inquit Galenus; Adde carnis soliditatem, quæ ex perfecta fit nutritione, atque alimenti optimè resoluti assimilatione. Cum in fœminis partes omnes imbecilliores sint, caroque nimium mollis & fluxa, propter nimium humorem aqueum, & caloris inopiam, Vt iam ex his omnibus minimè mirum videri debeat, si Aristoteles fœminam appellauit monstrum in natura, lætūque animal, mancum, & imperfectum.

Quòd si Galenus in libro de pulsibus ad Tyrones cap. 9. & libro 3. de causis pulsus. cap. 2. & Aueroes in 4. colliget cap. 19. mares dixerunt rariorem ac tardiorem, quàm fœminas, habere pulsum: Id tamen caloris maioris argumentum non est: sed illud potius, quòd maribus maior est, & vehementior. Fœminis enim frequentior est propter organorum angustiam, crudo-

Pulsus maris & fœminæ qualis.

crudorumque ac frigidorum humorum oppres-
sionem; quæ prohibet, ne tantum extendi & di-
latari arteriæ possint.

*Alig. femina
mare aliquo ca-
lidior.*

Quamquam negandum non sit, fieri interdum
posse, ut femina quæpiam sit aliquo mare cali-
dior. Etenim hoc Arist. loca testantur: reque ipsa
& certa ratione confirmatur. Quippe cholericæ
aut sanguinæ femina phlegmaticæ aut melan-
cholicæ mare calidior erit. Atque ex ratione vi-
ctus certum est magnopere mutari posse natura-
lem corporis habitum, feminamque calidiorē
fieri, frigidiorē marem. Neque de sexibus plu-
ra hic locus postulat.

DE ETATIBVS. QUÆ TEM-
perationis mutationem ac durationem
significans.

CAPVT XXVIII.



Erta est ac determinata totius animan-
tium vitæ periodus. At non eundem
semper statum retinet; sed mutantur
sæpius; tum corporis granditate; tum
temperacione ac operationibus vniuersis. Diuer-
sa hæc mutationum tempora, partialisque peri-
odi, in quibus alium atque alium statum habet ani-
mal, appellantur ætates: de quibus tanquam ad
temperacionem pertinentibus hoc loco dicendum
mihi proposui. Est igitur ætas nil aliud, quam vitæ
durationis spatium, quod ex notabili aliqua
mutatione ac varietate magnitudinis, temperacio-
nis, & actionis animantium petitur. Quæ muta-
tio non in temperacione innata, sed in influente
intelligitur: & ideo in viuentibus duntaxat ætates
nominamus. In tebus enim inanimis principium
quidem est, & finis, sed cum nullus reperitur cer-
tus & fixus terminus, nulla statim periodus muta-
tionum illarum, quas in animantibus obserua-
mus; ætates in illis nequaquam distinguimus.

Ætas quid.

Ætates quot.

- Iam quot siant in viuentibus mutationes, quor-
umque siant ætates, magnam esse video inter Phi-
losophos, Medicos, Astrologos, & verò etiam iu-
risperitos dissentionem. Arist. enim tex. 56. pos-
terioris libri de ortu, & interitu, duplicem solum
visus est ætatem facere: oetum alteram, qua viu-
entia ad suam perfectionem progrediantur: alteram
interitus, qua paulatim & sensim acquisita perfe-
ctio minuitur, donec penitus tandem aboleatur.
1. Sed in libro de respiratione cap. 14. triplicem dis-
tinxit: iuuentutem primam, quæ totum accre-
tionis tempus continet: deinde statum, consisten-
tiamque; dum accretione cessante conditio ead-
dem quantitatis conseruatur: postremò senectute-
tem, quæ decrectionis tempus complectitur vsque
ad mortem.
2. Hippocrates autem in Aphor. 13. lib. 1. & Aphor.
18. lib. 3. & libro 1. de Dieta, & Galenus libro 6.
de sanitate tuenda cap. 2. & in comm. ad Aphor.
18. citatum, alisque in locis, quatuor ætates distin-
xerunt: pueritiam, adolescentiam seu pubertatem,
iuuentutem, & senectutem: primam calidam & magno-
pere humidam; alteram temperatam; tertiam calidam
& siccam: quartam frigidam & siccam. Et quamuis Ga-
lenus in illo de sanitate tuenda libro eas dixerit,
haud satis posse annorum numero definiri: Eodem

A tamen in loco, & in expositione septimi & 9.
Aphor. lib. 5. pueritiam 14. aut 15. aut 18. anno ter-
minat; adolescentiam seu pubertatem 25. & iu-
uentutem 35. ita ut reliquum esse senium intelli-
gatur. Quamquam ego in hac partitione minus
constantem Galenus video. Nam in comm. 13.
Aphor. lib. 1. præter has ætatem consistentiæ inter
iuuentutem & senectutem addendam esse ostendit.
Et rursum in libro, cui titulus est, Adscriptæ
definitiones medicæ, iuuenum, vigentium, medi-
diorum, & senum ætates solas distinguit; iuuenes
dicens tum pueros tum adolescentes: Ac demum
in 8. lib. de Hippocratis & Platonis decretis cap.
6. pueritiam nominat, iuuentutem, senectutem, &
decrepitam: primam veri persimilem, alteram
æstati, tertiam autumno, quartam hyemi.

B Auicenna verò in prima sen. primi canonis 5.
doctr. 3. cap. 3. & libro 12. de Animalibus cap.
4. adolescentiam vsque ad trigesimum ferè an-
num introducit, iuuentutem seu consistentiam
vsque ad 40. decretionem, licet non manifestam,
vsque ad sexagesimum, ac denique senium & de-
clinationem manifestam vsque ad obitum, sed
adolescentiam in quinque partes tribuit, prima
est infantia nondum ad motum & ingrediendum
apta: altera pueritia, antequam mutentur dentes:
tertia consequens vsque ad seminis effusionem:
C quarta, qua barbescit: postrema, qua virium firmi-
tatem sibi comparat accretionemque totam ab-
soluit.

Verum recentiores complures quinque 6.
minimo partibus vitam nostram concludi asserunt:
quarum prima est adolescentia, calidissima & hu-
midissima, ad 25. vsque annum attingens, quæ in-
fantia constat, tribus quatuorue annis, pueritia, ad
10. annum prouecta; pubertate, ad 18. & ad 25.
adolescentia totius appellatione nominata. Al-
tera iuuentus florida ad 35. vel 40. annum pro-
ducta; cuius propria venustas, agilitas, & ferocia;
ab Auicenna pulchritudinis ætas appellata. Hæc
calida est & parca humida. Tertia constans, ma-
tura, & virilis, omnino temperata, ad 50. ferè ex-
currens annum. Quarta senectus, quæ ingraves-
cens declinat ad mortem frigida & sicca, ad 65.
vsque annum. Postrema decrepita & senium vl-
timum, frigidissima & siccissima, & ad occasum
tandem perducens.

Quinarium item ætatum numerum fecit olim 7.
Varro: sed ita partitus est, ut singulis præter vlti-
mam 15. tribuerit annos. Vnde credi potest ortum
habuisse scitum illud à Cic. quoque usurpatum in
libro de Senect. quo vitæ nostræ ætates fabula-
rum actibus comparantur. Quoniam ut in fabu-
lis sunt quinque actus, nec persona quinque e-
gressa exire vltra permittitur; sic in hominum vita
ætates quinque separantur, vltra quas nullus est,
qui viuat.

Sex videntur illi distinguere, qui ciuilem con- 8.
uictum considerant: infantiam, qua, ut bestiolæ
viuimus: pueritiam qua disciplinis imbuendi
tradimur: iuuentutem, qua ad arma & bella ac-
cedimur: virilem ætatem, qua patres familias su-
mus: senectutem, qua prudentia viget: decre-
pitam, qua infantia redit.

Poetas quosdam septenario numero dimensos 9.
fuisse scribit Arist. in 7. polit. cap. 16. Et post sa-
pienter Astrologi, tamen si patronum habeant
Probum in libro de anim. & Dæmone, earum

numerum ex planetarum numero depromunt; Lunæ primam tribuentes ad quintum vel sextum vsque annum; quod infantia valde humida sit: Mercurio alteram, vsque ad 14. quod pueritia bene sentire, & loqui incipiat 3. Veneri, vsque ad 22. quoniam tunc emittatur semen & apti ad procreandum sumus: quartam Soli, vsque ad 29. vel 30. quia honoribus & dignitatibus incipiat iuuentus splendescere: 5. Marti, vsque ad 40. quod virilis hæc ætas ad arma & bella sit aptissima. 6. Ioui, quoniam consilij ætas finilis est, rebusque diuinis & humanis peropportuna: 7. Saturno, quia decrepita ætas frigida tota est & sicca, tristis, & ad illius planetæ conditionem conformata. Hæc ferme de ætatibus affirmantur.

Quæ omnia ego quidem pronuntio de vitæ nostra partitione summa cum veritate exponi: tamen si dum aliorum dominatû spectant Astrologi, minime audiendi sunt. Namque in eo duntaxat hæc omnes partitiones differunt, quod vna magis aut minus exacta est, atque in minutiora membra ex magis, minusve sensilibus mutationibus dissecta, quam altera. Omnium tamè maxime probata est Aristotelica partitio in tria præcipua membra, accretionem, statum, & decretionem. Propterea quod insigniores spectat & magis notabiles mutationes, quæ in tota vita fiunt. Quæque plura membra faciunt, nil amplius dicunt: sed præcipuas illas partes in minutiores concidunt. Adde, quod trimembris illa diuisio viuientibus omnibus communis est; quippe quæ ex intima eorum natura; totiusque mutationis principio petitur: quæ verò illi adduntur, in homine potius, quam in cæteris, considerantur. Quod si cuiusque ætatis tempus curiosè querat; vix potest quidquam certò & accuratè responderi. Ferè tamen in hominum specie accretionem obseruamus 15. & 20. terminari anno, statum & consistentiam 40. decretionem nullum omnino habere certum annorum numerum; sed nostris hæc temporibus vigesimum supra centesimû annum vix vquam excedere. In reliquo animantium genere singula quoque species proprios ac sibi speciales terminos habent. In omnibus autem manifestum est, vitæ initium esse calidum & humidum, vltimum frigidum & siccum; temperatum magis id, quod medium est. Et idè in calore, & humore viuentium omnium durationem positam esse, ac eorum consumptionem senium & mortem adducere.

DE SANITATE ET MORBO
quæ in quadam temperatione & in-
temperatione, & consistunt.

CAP. XXIX.



Sanitas & mor-
bus quid.

Nimalis temperatio aut ea esse potest, vt functiones omnes secundum naturam optimè fiant, tuncque animal sanum esse existimatur: aut tam manifestè lædi & impediti, vt in operationibus quoque vitium appareat, atque hæc dicitur agrotatio. Quorum vtrumque aut in toto corpore esse potest, aut in aliqua eius parte, vt vel totius, vel cuiuspiam partis operationes integræ fuerint, aut

debilitata & læsa. Idè idè cum in libro de flatibus dixit Hippocrates quidquid homini molestiam ac tristitiam infert, hoc morbum esse; amplam nimis acceptionem secutus est, nimisque generalem definitionem posuit. Propriam autem ac specialem Galenus in artis medicæ constitutione cap. 10. & in libro de optima nostri corporis constitutione cap. 2. & in libro primo de sanitate tuenda cap. 4. & 5. cum ex functionibus secundum naturam obeundis sanitatem discernendam esse statuit. Et idè eam suscipere magis & minus ex functionibus demonstrauit; quæ perfectius ab vno fiunt, quæ ab aliis quorum tamen vterque, sanus esse videatur. Et in libro de Symptomatum differentiis cap. primo, sanitatem definiuit esse affectum quandam secundum naturam, functionis auctorem, morbum verò affectum præter naturam, læsæ ac vitiatæ actionis causam. Tunc enim, inquit, ad initium libri de morborum differentiis, omnes se sanos existimantes, cum partiu corporis ministerio ad eas, quæ in vita necessariae sunt, actiones sine aliquo vitio perfungi poterint. Quod si cuiuspiam partis operatio offensa sit, illam agrotari arbitrantur.

Itaque non in actu & operatione, sed, vt in arte ad Thrasylulum cap. 7. & 12. interpretatur, in habitu & affectu corporis permanente, qui sit velut potestas, & principium operandi, sanitas aut morbus consistunt; potiusque habitu & potestate, quam operatione definiti debent. Quare dum in prim. libro methodi medendi multis disputat aduersus methodicos, an in affectu corporis, an in actione sanitas & morbi propria notio cognoscenda sit; intelligere oportet, quatuor esse in hoc disputationis genere magnopere distinguenda, in quibus duplex affectus continetur; quorum alter sanitas est aut morbus, alter sanitatem aut morbum consequitur. Primum enim est, quod secundum naturam aut præter naturam afficit corpora nostra. Alterum, affectus ipse ex hac causa profectus. Tertium, operatio, quæ à corpore ita affectu proficiscitur. Postremum, affectus huiusmodi operationem comitans. Primum sanitatis aut morbi causa est, alterum sanitas ipsa aut morbus, tertium sani aut morbofi corporis operatio, quartum accidens sanitati, aut symptoma morbo adiunctum: vt atrophia, quæ affectum significat, in quo corpus non nutritur, seu vitiosus siccus, succiue defectus aut redundantia. Ergo affectus quidam & habitus corporis sunt sanitas aut morbus; sed qui actionis principium est, eique aut commodat aut incommodat.

Ex quibus duo intelliguntur. Alterum, sanitatis aut morbi proprium finem esse viuentis formæ conseruationem aut euetionem, perfectamque aut mancã & imperfectam eius operationem. Alterum, sanitatem formaliter significare temperationem quandam ad iustitiam (vt cum medicis loquar) seu permissionem & proportionem qualitatum viuentibus singulis secundum suam speciem & naturam conuenientem; quæ sit aptum operandi principium ea præferri, quæ vegetantis animæ sunt & ad vitam pertinent. Contra verò harum ipsarum intemperiem & alicuius supra reliquas excessum, vnde operatio lædatur, esse morbum. Sic enim tum Aristot. in

Non in actione,
sed in habitu
consistere.

Sanitas & mor-
bus quid.

problem. prim. sect. morbum dixit excessu aut defectu consistere. Et problem. tertio sanitatem esse mediocritatem quandam: & in text. 17. libri 7. Phy. esse calidorum & humidorum cōmensurationem. Tum Hippocrates in libro de hominis natura, esse elementorum & humorum mediocritatem. Et Galenus lo. is ante notatis, & libro de atra bile cap. 5. & libro 5. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 2. & 3. & alibi sapius, sanitatem definiuit moderationem quandam esse & symmetriam qualitatum, morbumque earum immoderationem & assymetriam. Quæ qualitatuum proportio, tum comparatione subiecti, in quo sunt; tum verò operationis, qua fieri debet, pensanda est: vt tot sint qualitatum singularum gradus, quot perfecta postulat operatio viuensque natura, seu partes eius, quæ operari debent.

Ceterum quoniam operationes per partes item organicas sunt; non in solis homogeneis, sed in heterogeneis quoque sanitatem & morbum considerare oportet, sanè in homogeneis qualitatum temperatio & proportio erit: in heterogeneis autem optima primum ex homogeneis compositio, quoad numerum, & qualitatem earum: deinde oportuna quantitas & magnitudo; debitus in corpore situs, conueniens figura, raritas, densitas, lenitas, asperitas, meatus, aliaque hoc genus conditiones, quæ ad optimi instrumenti fabricationem pertinent. Tunc enim corpus optimè sanum fuerit optimèque operabitur si & optimè fuerit qualitibus temperatum, & organica omnia membra ad operandum habuerit oportuna, & eorum vnumquodque optimè affectum fuerit. Contra morbosum; si aut homogenearum partium intemperatio, aut horum quispam in heterogeneis defectus operationem laesam & vitiatam reddiderit. Quare materia quidem, ex qua constant sanitas aut morbus, qualitates eæ sunt & accidentia, quæ in vtroque partium genere proportionem habet aut non habent: subiectum autem, in quo sustentatur, sunt ambo illa partium genera atque ad eò totum viuens corpus; præsertim verò partes homogeneæ, tum quòd ex illis consistit & heterogeneæ totaque planè pendeat harum sanitas aut morbus: tum quòd ratione ipsarum maximè prodeunt hæ operationes; tamen non nisi ab heterogeneis perimulæ perficiantur.

Hinc nimirum scita illa & vulgaris medicinae artis duas in partes diuisio; quarum altera in tuenda sanitate versatur, altera in profligando morbo occupatur: dum ille optimis alimentis accuratèque victus ratione incommoda omnia & noxia auertens, qualitatum proportionem ac membrorum omnium commodam dispositionem tueri conatur: hæcque in illud sedulo incumbit, vt oportunitis & salutaribus medicamentis intemperiam, siquæ contingat, corrigat, perturbatamque dispositionem abigat, & pristino statui atque incolumitati vniuersum corpus restituat.

Hinc trimembris illa membrorum partitio. Quidam enim sunt, qui temperationis morbi dicuntur; alij, qui compositionis; alij demum, qui unitatis. Temperationis morbi ad homogeneas partes pertinent, atque in qualitatum principum conjunctione cū alicuius excessu aut defectu considerantur. Quare vt medici ferè quatuor simplicium temperationum, & totidem compositarum ge-

nera faciunt; sic totidem simplicium & compositorum morborum capita sibi proponunt; illud ex vnius, hoc ex duplicis qualitatis excessu aut defectu orta. Quod an ita sit, poterit ex iis iudicari, quæ de temperationibus antea fuerunt disputata, quotcumque autem constituantur; aut oriri possunt ex causa externa, cibo, aère, & similibus, quibus remotis cessabit morbus: aut internum habent principium, sanguinem, spiritum, aliūque humorem; quem ad proportionem adducere oportebit. Priores illi morbi sine materia vocantur; quòd internam materiam, qua sustententur, non habeant: posteriores cum materia.

Alterum morborum genus, quod compositionis appellatur heterogenearumque potius partium proprium est, quadruplex esse existimatur. Primum figuræ seu creaturæ: quod in membri conformatione versatur, si aut curua, aut alia minùs accommodata figura affectum sit membrum, si meatus habeat plus æquo angustos aut amplos, obstructosue aut debilitatos, si receptacula & vasa nimium aut laxata, vt in fellis vesica interdum fit; aut angustata & obstructa, vt in opilatione; aut denique nimium vacuètur, vt si præ nimia lætitia spiritum & sanguinem cor immoderatè effundat, quomodo hominem perire posse & interdū perisse scimus. Alterum est quantitatis; si maiora fuerint, aut minora, quàm par sit. Tertium numeri, si plures aut pauciores habeat digitos, quòd vnum ad ceterorum exemplum adhibitum sit. Postremum situs; si membra quæque congruentem & sibi debitum locum & situm in corpore non teneat. Tertium morborum genus unitatis esse dicitur totumque in solutione continuitatis consideratur; vt in excoaratione cutis, incisione venæ, nerui, carnis, in fractione ossis, in cuiusvis membri amputatione, aut quacunque diuisione vnius partis ab alia.

DE NEVTRA DISPOSITIONE.

CAP. XXX.

Nenim inter sanitatem & morbum mediam quandam dispositionem quam neutram appellauerunt, aperta oratione posuerunt Galenus in arte medica cap. 3. & 6. & libro de Symptomatum differentiis cap. 1. Herophilum scilicet secutus, vt intelligi potest ex lib. 7. de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. 21. & lib. 6. de sanitate tuenda c. 2. & post eum Auicenna in 2. fen. 1. canonis doctrina 1. cap. 2. Hanc porò dispositionem neutram quadruplicem esse voluerunt. Vnam inter perfectam sanitatem morbumque grauissimum mediam, tanquam vtriusque negationem: quam in senum, conualescentium, & puerorum corporibus reperiri dixit Auicenna. In senibus enim propter nimiam siccitatem & frigus, in pueris propter abundantem humorem, in conualescentibus propter sanguinis inopiam, quòd eorum venæ non sint plenæ; ab ea perfectione & mediocritate recedunt corpora, in qua operatio perfecta consistit: nec tamen pessima est eorum conditio. Sanè Hippocrates aut quisquis fuit auctor libri de veteri medicina, corpus sanum nominauit, & ex morbo conualescens, & ægrotum. Alteram; qua corpus vno

Neutra dispositio quadruplex;

Subiectum quid?

Duplex medicina pars.

Trium membrorum genera.

membro sanum est, altero ægrotum: ratione namque totius neutrum appellatur. Tertium, tunc unum & idem membrum sanum dicitur & ægrotum in diversis generibus, aut remotis, ut si in temperatione sit sanum & in compositione ægrotum; aut proximis, quemadmodum si sanum sit in quantitate & ægrotum in figura, numero, aut situ. Postremam, si vicissitudine quadam idem corpus interdum sanum sit, interdum ægrotum: nam cum nec sanum simpliciter nec ægrotum dici possit, neutrum appellatur.

Sed de uniuerso hoc tertio dispositionis neutra genere non immeritò quispiam dubitauerit. Quippe in 2. Alcibiade Plato & Aristoteles dum in Categoriarum libro de oppositis differeret, omnino pronuntiarunt, inter ægrotationem & sanitatem nihil esse medium. Quæ dubitatio tollitur: quoniam si ægrotatio ita sumatur, ut quamcunque temperationis inæqualitatem significet, aut perturbationem, quæ solam æqualitatis negationem corporibus nostris adterat; nihil profectò medium est, ut verissimè Aristoteles affirmavit. At si pro certa quadam in signi inæqualitate usurpetur, ex qua magna & sensibilis valde operationum læsio consequatur; verè etiam peritissimi medicorum principes inter sanitatem & morbum, dispositionem medià agnouerunt. Idcirco autem diversum hac in re fuit Aristotelis & Medicorum iudicium, quòd ille solam qualitatum naturam & sanitatis atque ægrotationis oppositionem consideravit, dum verba illa proferret. Quæ etsi minimè sensibilis sit inæqualitas, ex qua vix vlla possit in operatione læsio notari; non minùs tamen oppositione & repugnantiam continet; neque magis aut minùs mutat speciem & naturam rerum. Hi verò diuersas potius corporum affectiones spectarunt, quæ alia atque alia opus habeant moderatione victus: & idcirco tres diuersas affectiones distinctasque dispositiones esse voluerunt, quæ alias atque alias vitæ & alimenti formas postulent.

Ceterum tota hæc consideratio hic finem habeat. Sapienter namque monuit Arist. in lib. de sensu & sensibili cap. 1. & in fragmento, quòd extat ex lib. de sanitate & morbo naturalè quidem philosophum debere aliquid de sanitate & morbo dicere; sed ita, ut principia solum & causas vtriusque exponat; quatenus in qualitatum naturalium temperatione membrorum proportione consistunt & dispositiones ad operandum sunt. Reliqua quæ ad vtrumque caput referri possunt, medico relinquuntur, ne scientiæ nostræ terminos egrediamur.

NVM AD SANITATEM

fit motus.

CAPVT XXXI.



Taque vnica mihi superest hoc loco difficultas explicanda, quæ naturalem contemplationem habet. Ea est de sanitatis acquisitione seu ad sanitatem motu. Etenim auctor est Aristot. in 7. physicorū lib. tex. 17. ad sanitatem non esse motum. At si ad eam non sit motus, quo tandem modo comparabitur? Contrà verò cum omnis motus cum tem-

pore & successione fiat; si per motum sanitas pareretur, an non sanitatis tatumdem acquireretur, quantum morbi pelleretur? Quod si ita sit, erunt simul in eodem subiecto sanitas & morbus.

Mihi quidem certè necessarium videtur sanitatem comparari per motum, perque earum qualitatum alterationem, quas temperati atque ad proportionem adduci oportet. Sed quoniam sanitas non vnā aliquam ex primis qualitibus significat, quæ propriam & specialem actionem habeat, sicut calor calefactionem & frigus refrigerationem: verum ea, ut est illarum omnium qualitatum temperatio, ita per earum motum & mutam actionem acquiritur. Propterea ad eam dicitur non esse motus, quòd non per se & primū, sed secundariò & consequenter ad motum, qui in illis qualitibus efficitur, sanitas producat. Quam ob causam nusquam ea videatur adesse, nisi in vltimo momento, quo qualitatum illarum motus absolvitur. Quippe nil aliud est, quam temperatio & proportio qualitatum per eum motum producta.

Ergo motus ad sanitatem magno opere distinguendus erit ab eo motu, qui fit ad singulas illas qualitates. Quoniam in toto calefactionis aut refrigerationis motu & singulis eius partibus calor semper aut frigus acquiritur: siquidem calefactio & refrigeratio nil aliud sunt, quam calor & frigus, quæ producuntur aut ad suam perfectionem progrediuntur. At in tota sanatione nil sanitatis acquiritur, sed corpus ad sanitatem disponitur; cum sanatio non sanitatem ipsam productam significet, sed qualitatum temperationem necessariam ad sanitatem. Totusque is antecedens sanitatem motus sanatio appellatur, quòd ad sanitatem tendat & ad eam tandem terminetur.

Sicut & alteratio, quæ substantiæ formam antecedit, substantialis dicitur ortus, quòd via sit & productio tandem substantiæ: ortusque ipse, ut est in text. 14. lib. 1. physic. nominatur natura, quia est ad naturam via. quòd si quando Aristoteles ad sanitatem negauit eam motum, de termino motus primo & per se locutus est: voluitque ostendere alterationem propriè, quæ idem re est cum termino, qui producitur, non esse nisi in tertià qualitatis specie, cuius productionem reliquæ omnes facillè consequuntur. Et idcirco non dicuntur acquiri per motum per se & sibi proprium, sed per motum in illis tertij generis qualitibus factum.

MULTIPLICI ACCEPTIONE

vitam nominari.

CAP. XXXII.



Ostendè cum viuentium corporum temperatione maximè coniunctam esse vitam, & mortem illi oppositam; imò ex illa prorsus pèdere; nemo est, qui ignoret. Quoniam vel idiotæ homines norunt tandem vitam nostram incolumem conseruari, quàm diù opportuna fuerit nostrorum corporum temperatio. Ea verò perturbata & contrariis qualitibus inter se pugnantibus à mediocritate auocata; morbos primū excitari, tum verò ea planè corrupta & profligata conse-

altero, nutritionis & accretionis principium in esse in viuentibus affirmat, unde vitales eque operationes omnes oriuntur. Quod enim in morte accidit opposita vite, hoc ipsum in vita fieri intelligendum est. Mortem autem non solum esse operationis priuationem, sed etiam ab operatione cessationem, sed morte potius operationem omnem interimi, quasi mors quidpiam sit priuatione, ac cessatione prius, aduersarij quoque consentiunt. Neque igitur vita in sola operatione versatur, sed aliud quidpiam est prius, quod aduersatur morti, velut habitus operandi principium. Huius absentia & interitus mors est: anima inquam aut interitus aut certe a corpore separatio. Illiusque ipsum presentia, permansio, & conseruatio in corpore, vita est. Et ut corpus tunc est mortuum, cum anima priuatum est; hocque ipso mortuum esse creditur, quod anima desitutum est: Ita viuū tūc esse affirmatur, quando habet animam, hocque ipso viuere existimatur, quod in ipso anima perseveret.

Obiectio.

Obijciunt nobis aduersarij, vitam non animam sed illius effectum esse: Quare cum anima sit actus primus, effectum eius oportere actum secundum esse. Et rursum, cum anima sit actus corporis potestate vitam habentis, si corpus habens animam habet actum primum, atque ad actum secundum est potestate, vitam conseruare esse actum secundum, non primum.

Solutio.

At leuis est argumentatio. Nam ut esse album, quod alboris effectus formalis est, nil aliud est, quam ipse albor cum subiecto corpore coniunctus: Ita esse animatum aut viuens nil aliud fuerit, quam ipsa anima cum vita in corpore existens. Eadem anima, quae si per se consideretur, anima est & formalis causa; Quatenus est unita cum corpore & tribuit illi esse largiendo se ipsam, effectus formalis vim habet & appellatur vita. Neque ad vitale solum operationem, sed ad hanc quoque essentialē vitam corpus est potestate; tū antequam eam suscipiat, quae cum priuatione potestas est: tum postquam habet, atque hanc cum actu coniuncta est, diciturque esse potestate, quoniam ex se eam non habet. Ita interpretes Graeci potestatem illam de vita essentiali & prima, non de accidentaria & secundaria, quae in operatione cognoscitur, interpretati sunt. Neque enim in essentiali definitione aequum erat accidentariam potestatem & operationem nominare: sed ut anima est actus primus essentialis, ita essentialis in corpore ad illius actum potestas nominanda fuit. Et ideo in tex. 7. ex ea definitione colligitur, ex anima & corpore fieri unum. Quoniam anima est actus essentialis, & corpus potestas ad illum eiusdem generis.

Potestas duplex.

Alia quoque Aristotelis loca colligunt, in quibus vitam pro actu secundo & operatione vsurpauit. Sed multiplicem illius vocis significationem propterea principio distinximus. Denique vita, inquit, est ortus quidam, sicut opposita mors est interitus. At nequit esse substantia: ortus, ergo operationis. Caterum Aristot. in c. 14. lib. de vita & morte, duobus modis visus est considerare mortem: tū ut mutatio quaedam est, quae calidi in humido extinctionem definiuit; huiusque opposuit, vitam quatenus est ortus, quae tradit esse primam nutrientis animae cum calido participationem. Tum ut priuatio, cui velut habitus opponitur vita; Atque hoc intellectu alteram vitae definitionem posuit: Vita est permansio illius, cuius prima participatio fuerat ortus: Hoc est animae nutritis cum calido: Siquidem calor omnino est ad vitam necessarius tanquam dispositio, quae in corpore anima conseruetur. Et ideo in ca. 2.

Mors duobus modis consideratur.

eiusdem lib. velut consequentis tractationis principium posuerat: Viuentia omnia esse calida, eaque quae vita priuata sunt, esse frigida, & calidum conseruandi vitam habere, illiusque extinctionem esse mortem. Quod ipse in c. 10. & in lib. de longitudine & breuitate vitae pluribus verbis persequitur.

Vita & sanitas ut differunt.

Duo autem ex his plane intelligi possunt. Alterum est, quid inter vitam & sanitatem interit. Duplex verò discrimen est. Nam etsi utraque temperationem qualitatum magnopere requirat, sanitas tamen ad operandum refertur, tanquam optima dispositio ad naturales omnes functiones quae optime exequendas; vita ad durationis diuturnitatem, vel breuitatem. Deinde sanitas formaliter nil aliud est, quam conueniens qualitatum proportio: Vita permansioem significat, moram, & durationem animae in corpore, quae tum temperatione illa qualitatum conseruatur, tum maxime naturae qualiter cum humido primigenio coniunctione.

Alterum est, quoniam sint viuendi principia. Nam si vita est effectus formalis animae vegetatis manifestus est hanc animam viuendi principium esse. Quocirca in tex. 16. lib. 2. de anima, viuentia omnia propter hoc principium dicuntur viuere, sed quoniam ad vitam & principium hoc retinendum necessaria dispositio est qualitatum omnium temperatio, naturaeque caloris & humoris primigenij copulatio, haec ipsa vita principia velut dispositio existimatur. Itaque cum inter omnes corporis animalium sanguineorum partes, cor sit quasi caloris & vegetantis animae principium & fons, ipsumque primum omnium viuatur & vltimum moriatur, iure optimo principium & sedes praecipua vitae iudicatur, ut in c. 2. & 10. lib. de vita & morte, & c. 1. lib. 2. & c. 3. & 4. lib. 3. de partibus animalium Aristot. confirmatur. Propterea & in medio positum est inter omnia reliqua membra, ut omnibus commode posset virtutem largiri suam, atque in vniuerso corpore tueri vitam & conseruare: & natura huius praecipuae partis sollicita in minutissimo eadem loco, hoc est in thorace, velut in arce collocabit.

Vita principia quae.

Ut nimirum vitam principium, quae tutissimum esset. Sane quotidiana experientia testatur, ceteris partibus refrigeratis vitam nihilominus conseruari: Atque in moribus extremis primum partes omni calore & vita destituerunt, subindeque cetera: At statim atque refrigeratur cor & ab eo calor omnis & vita descendit, actum est de tota animalis vita. Pulsus denique cum primis est ad tuendam vitam & calorem diffundendum necessarius: illius verò principium & sedem praecipuam esse in corde nemo ignorat. Id quod est cor in ijs animalibus, quae sanguine praedita sunt, hoc ipsum in ceteris est aliquid cordi analogum, & in plantis humor quicquid intus per longitudinem totam extensus maximeque in trunco reuidens. Nam ut radices & rami duabus illis respondent animalium partibus, quibus alimentum suscipiunt & excrementa eijciunt, sic truncus inter illas medius instat pectoris est, in quo potissimum vitae principium conseruetur.

Praecipua sedes vita.

Totum igitur hoc caput concludam, ex ijs, quae dicta sunt, omnes vitae causas colligere. Causa formalis praecipua est anima, instrumentaria motus cordis & temperatio, maxime naturalis calor. Causa materialis remota est corpus, proxima innatum humidum, in quo sustentatur calor: Finis est operatio: Efficiens demum est generans, & conseruans est alimentum, locus, aer & alia huius generis extrinseca. Ex quibus omnibus causis duae sunt, quae longiore

In plantis qua primaria sedes vita.

Tempore durat, quae sunt anima & calor. Causa instrumentaria est motus cordis & temperatio, maxime naturalis calor. Causa materialis remota est corpus, proxima innatum humidum, in quo sustentatur calor: Finis est operatio: Efficiens demum est generans, & conseruans est alimentum, locus, aer & alia huius generis extrinseca. Ex quibus omnibus causis duae sunt, quae longiore

Vita causa.

longiorē explicationē desiderant; motus cordis & temperatio. Sed hoc loco, ubi de tēperatione solum agitur, de posteriori dicam; de cordis motu alio loco disputaturus.

*QVÆ SINT CAUSÆ LONGÆ
aut brevis vite.*

CAPVT XXXIV.

S In debita corporis temperatione vita conseruatur, tota ratio durationis vite ex eadem causa petenda est. Nam quo aptior fuerit minus apta corporis constitutio, eō diuturniori breuioriū tempore poterit in eo anima permanere. Ergo illud cōstat, cuiusq; viuētis vitam habere determinatam durationis periodum. Quod tum in tex. 57. posterioris lib. de ortu & interitu Philosophus docuit: Tum in lib. de Marcore cap. 2. & lib. 1. de sanitate tuenda cap. 12. & lib. 6. cap. 12. & libro 6. cap. 3. confirmauit Galenus: nimiam irridens cuiusdam hominis audaciam, qui vitam nobis immortalem pollicetur: necessariāq; datione demonstrauit omnia tandem viuētia ad senium mortēque venire oportere, quōd eorum corpora cōtinenter siccantur, humor & calor, quibus nititur vita, horis omnibus exhauriantur, vniuersaq; corporis constitutio ab hostilibus causis pluribus oppugnetur à quibus eam magnoperē labefactari ac penitus tandem expugnari necesse est.

Huius porō periodi terminus, vt tanto aut tanto tempore subsistant singula, non ponitur ab anima: siquidem ea eiusdem naturæ & perfectionis est in tota specie, nec tamen eadem visitur singulorum animalū vita. Quin potius eorum hominum, qui mente & ingenio valent, quorumque animæ ceteris præstare videtur, breuiori plerūq; tempore vita concluditur. Neq; etiā à corpore absolute & simpliciter considerat: cū viuētia quædam maiore sint corpore, minusq; viuacia, vt de equo & homine scriptum est in cap. 3. lib. de longitudine & breuitate vite. Sed causā est corporis dispositio & temperatio. Quoniā vt anima, formarum omnium conditione generali, suscipi in materia & corpore non potest, nisi necessarijs dispositionibus, opportunaq; temperatione antecedentibus: sic dispositione ac temperatione abolita subsistere in eo diutius nequit. Præsertim si natui caloris cum humido primigenio copulatio tollatur. Etenim in his præcipue conseruatur vita, eorumque extinctio mors est.

In humido autem tum quantitas consideratur, tum qualitas. Nam si multum humidum fuerit in corpore, multi caloris materia erit, plurimūque siccitati resistet, que mortem & interitum machinatur. Propterea & immoderatus Venris vsus, & nimius corporis labor, vitam reddunt breuissimā. Semen namque sanguine constat & spiritu; quibus nutrirī ac refici membra omnia cōsumptumque humidum resarci debuerant. Quare etsi humidis & calidis corporibus moderata Venus non obijet; siccis tamen & frigidis temperamentis, vt in 6. lib. de sanitate tuenda cap. 3. & 4. Galenus loquitur, inimicissima est: Et Aristoteles, dum de longitudine & breuitate vite differeret, salacia omnia animalia, & ea quæ multi seminis sunt citō senescere affirmauit; quod ita siccantur plurimum

A & refrigerentur eorum corpora, secreto scilicet & emisso humido & calido: Senectus autem siccitas quædam est & frigus. Hanc ob causam multū tradidit diutius viuere, quam equum & asinum: & maculos passerēs, quod salaciores sint, breuiorem, quā feminas, habere vitam. Et vniuersè in cap. 18. lib. 1. de animalium ortu, vel minimam seminis emissionem totius corporis dissolutionem atque imbecillitatem manifestam consequi. Tamen ex accideute interdum leuari videatur, quod aut nimium esset semen, aut cum eo alia, quæ naturam grauabant, secerantur excrementa, vt in 2. quoque lib. cap. 4. confirmatur. Neque Aui-cenna hæc de re iudicium prætermittendum est. Is deteriore multo magisque noxiam feminis esse, quā sanguinis, missionem in 3. lib. de animalibus cap. 3. testatus est; cū seminis missione totum corpus colore mutari scripsit; magisque debilitari, quā si quadragies tantundem sanguinis mitteretur. Quod Albertus quoque confirmat in tertio lib. de animalibus tract. 2. cap. 8.

Iam moderatus quidam labor, vt verè in Amatoribus habet Plato, efficit vt bene sint corpora constituta. At si nimius fuerit, citius adducet senectutem & mortem. Quoniam etsi moderata quædam & opportuno tempore suscepta exercitatio ad vitam & incolumitatem conseruandam multum conferat: Dum & natium calorem excitat, & excrementa secerat & purgat; & meatus corporis & vias aperit, quibus & corpus perspiret, & noxios humores & excrementa pellat, atque alimentum per partes facilius distribuatur & ad membra singula traducatur. Immoderatus tamen & nimius labor siccat corpora: Tum nimia humectantis spiritus consumptione: tum calore illo, qui ossium, musculorum, & membrorum omnium motu & confectione excitatur. Quo fit, vt post labores humorem consumptum lentiam membraque omnia penè exhausta.

D Quæ verò animalia corpore grādiore sunt, plerūque sunt longioris vite: quōd plus humidum ferè contineant. Equum tamen homini grandiorē Aristoteles dixit breuioris esse vitæ, quod siccioris temperationis sit. Insulani dicuntur esse longevi, propter humidum aërem circumfulum, quo eorum corpora humectata à siccatione defenduntur. Denique plantæ quædam, vt palma, cupressus, & oliua, diutissime viuunt; quōd multum habeant humorem, cūque probe tectum & custoditum, ne siccetur facile aut congeletur. Huc omnino spectat præceptum illud Galeni & medicorum; prorsus curandum esse, vt tum alimentis, tum balneis, tum alia quauis ratione humectentur corpora: vt ita dum arcetur siccitas & calor infusus conseruatur, diuturniorem vitam nostram faciamus.

E Verum præter quantitatem spectare quoque oportet humidum qualitatem. Humidum enim, quod vitam tueri debet, aëreum esse oportet, tenue, pingue, vñctosum. Aëreum, ne congeletur: Tenue, ne calorem opprimat & suffocet: Pingue & vñctosum, vt suaue sit, atque ad fouendum calorem aptum. Quæ fortasse est causa, cur exanguia quædam sanguineis quibusdam viuaciorēs sint; vt de apibus legimur in capite 3. libri de longitudine & breuitate vite: quoniam dulci prorsus & aëreo constant humido. Quod confirmare videtur illud, quod est in capite 8. libri 4.

Vita periodus
determinata.

Corporis exercitatio.

Animalia longioris vite quæ.

Corporis temperatio.

Humidi quantitas.

Humidi quantitas.

& cap. 11. lib. 8. de animalium historia, nullis eas putidis insidere, nec alio vii cibo, quam dulci, eamque libentissimè aquam bibere, quam sinceri & clarissimi fontes scaturiunt.

Caloris naturam
quantitas.

Longiori vita
que.

Alborum mem-
brum cum corde
proportio.

Causa extim-
secæ.

Exponit locum
ex lib. probl.

Ex naturali quoque calore plurimum pendet vita. Et ideo mares feminis viuaciores sunt, quia calidiores. Neque nutritio modo, qua sustentatur vita, pedit à calore, sed etià perfectio omnis operationum, quibus perfecta redditur vita. Atque si multus fuerit calor, non facile extinguatur, vitamque diutius tueretur. Ita fit, vt animalia terrestria aquatilibus ferè sint magis longæua: Quoniam calidiora sunt. Quamquam puriorem quoque & magis sincerum humorem continent. Nec se um propter eam, quam paulò ante tradidit causam, nimiam feminis profusio & immoderatus labor breuiorem faciunt vitam. Sed etiam quia cum semine multum caloris emittitur, corporisq; labore plurimum consumitur spiritus, in quo calor maximè seruabatur.

Præter hæc humoris & caloris coniunctionem, primam & præcipuam durationis vitæ causam: Altera est reliquorum membrorum proportio cum corde, quod vitæ principium est. Inter omnia verò membra iecur & cerebrum præcipua sunt. Que si eum, quem patet est, cum corde modum teneant (multo autem magis, si reliqua quoque omnia) longam profusius vitam pollicentur.

His addendæ sunt cætera causæ extrinsecæ. Cælum in vita cõseruanda & proroganda valere plurimum, testis est Philosophus in c. vii. l. 4. de animalium ortu. Deinde alimèta & omnis ratio victus moderata sapienterq; administrata: modica & opportuna corporis exercitatio: abstinentia à Venere: vacuè esse à curis & sollicitudinibus, à perturbationibus animi; dolore præsertim ac tristitia. Cõseruat enim maximè sanitatem, inquit Porphyrius in lib. de animalium abstinentia, imperturbatus animi status. Multum namq; vigoris ad corpus inde redudat. Certè familiares suos cõmemorat ab acerrimis iuncturarum pedum aomanum doloribus liberatos, cum pecuniarum rerumq; externarum curam deposuerit. Ac demum hæc ipsa in re aëris virtutem & efficacitatem nemo est, qui momentis singulis nõ experiat: tum propter corporum nostrorum cõtactum: tum propter respirationem. Eum enim purè & sincerum esse oportet, & qualitatibus nostrorū corporum temperatione persimilem. Qui nisi omnino tẽperatus fuerit, minus malus iudicatur, si calore abundauerit & humore. Quæ de re Hippocrates lib. de aëre, aquis, & locis, & lib. de flatibus. Certè Aristot. in probl. 9. & 10. sect. 14. lib. de longitudine, & breuitate vitæ ca. 3. propterea homines eos affirmat diutius viuere, qui calidiora habitant loca, quod diutius calorem & humorem conferunt; quorum refrigeratio & siccatio mors est.

quamquam nõ parua existit difficultas. quippe septentrionales homines cõstat longinquiores esse vitæ, quam meridionales, qui trigésimo anno dicuntur senescere. Sunt qui Aristotelis verba de frigidis & humidis solum temperationibus interpretentur. Aut in calidissimis inquirunt locis non longiorem, sed magis sanam agi vitam. Neutrum accommodatè dicitur. Sed potius meridionales quidem minus viuere, quam aquilonales; Propter quod, vt est in Probl. 8. & 16. ciuid. sect. cor-

porum & locorum cõditio cõtrario modo se habet. Et illi quidem interioribus partibus frigidi sunt, hi verò calidi multoq; sanguine abundantes. Quare illi propter caloris inopiam senescunt citissimè & priuantur vita, hi multo tẽpore sustentantur. Immo Vitruuius lib. 1. ca. 4. septentrionales regiones salubritate & vita tuenda cæteris omnibus ante posuit. At quoniam eorum hominum sanguis est crassior, atque ab exteriori frigore magno opere calor affligitur; salubriores omnino iudicare debent mediæ ac temperatæ regiones. Quiq; eas incolunt, diuturniores euadunt; quod tenuiorem habent sanguinem & spiritum; Nec eorum calor à circumfuso frigore tam citò superatur. Philosophi tamen sententia illa, qua diutius eos viuere pronunciauit, qui calida incolunt loca, non est de calidissimis locis intelligenda: neq; credenda, meridionales cum cum aquilonaribus cõparatæ, sed aut duas regiones temperatas, quarum vna sit calidior altera, aut tẽperatam regionem cum frigida. Huius enim cõparatione calida altera nominatur. Alioqui nimis calidissima regionis calor non solum nõ tueretur natiuum calorem aut vitam longiorè facit, quin potius calorem absumit, tum depascendo humidum, in quo is sustentatur, tum ipsum tẽpore deorando, vt in probl. 22. & 25. sect. 3. paruum flammam dixerat à maiore consumi, atque ita breuissimo tempore tota vita concluditur.

Que omnia si verè explicata sunt, duo planè colligi possunt. Alteru est, non esse idem esse sanu & longæ vitæ, neque idem valetudinariu esse & breuis vitæ. Nõ solum enim sæpè accidit, vt cum ex duobus hominibus alter sit sanus atque robustus, alter valetudinarius, imbecillis, & debilis, ille multò citius moriatur: Quemadmodum Galenus quodam in loco quæpiam memorat, qui cum ad omnes horas exhalare animam videretur, ad octo tamè & octoginta annos vixit. Verum etiam fieri potest, vt quispiam calorem habeat & humorem benè tẽperatos, sed quantitate parua, & ideo sana quidè, sed breuis erit vita. Cum contrà possit alius multo abundare calido & humido, qui tamè aut à primo ortu aut ex cõsequenti victus immoderatione malos humores contraxerit. Nam is longam, sed crebris conflictatam morbis ac profusè valetudinariam vitam traducet. Etenim sanitas in debita proportione, longitudo aut breuitas in caloris & humoris quantitate consistunt. Et ferè cõfirmatur re ipsa perulgatam illud: valetudinarios diutius, quam sanos & robustos, viuere. Quod aut ex maiori calore & humore, quamvis minus benè tẽperatis, enenit: aut ex accurata magis victus ratione, maiorè que sui cõseruandi cura. Quoniam qui sani sunt & robusti, nihil timent, audent omnia, pericula nulla reformidant, nec vlla propemodum sui cura sollicitantur. Et vt virium robore morborum causis diutius resistunt, ita grauissimè tandem succumbunt. At valetudinarij verentur omnia, multo que melius se ipsos custodiunt: Et propter virium imbecillitatem leuissima quæque morborum initia persentiunt, à quibus diligenti cura liberantur facilius, atque ita longius vitam protrahunt.

Alterum est, naturalis vitæ periodu posse quidè ob exteriorem aliquam causam præuenire reddiq; breuiorè: Nèpè aut violèta mors potest ingruere, aut

Sanum esse & longam vitæ, non idem.

Vita breuior, & longior fieri potest.

aut aëris intemperies, aut labor nimius, aut intemperatus victus, aut aliud quidpiam eiusmodi citius, quam oportuisset, vitæ finē adferre. Nihilominus posse etiam aliquantulum protrahi, & longiorem fieri, siue humidi siccationem calorisque cōsumptionem impediendo, tum siccantibus refrigerantibusque causis remotis, tum exteriori aliquo fomēto adhibito, siue optima viuēdi forma, siue medicamentorū demum virtute, quæ humidum & calorem quoquo modo recreet & vitam ad breue tempus longiorem faciant. Quod perfacile fuerit, si mors imminens non ex humidi & caloris consumptione oriatur, sed ex nimij cibi oppressione, aut ex aëris noxij intēperie, aut ex alia simili extrinseca causa. Quoniā cum naturalis periodus absoluta nodum sit, si exterior inimica causa, quæ mortem adfert moueat aut impediatur, incolumis viuenti vitæ persistet.

CVR BREVIOR NVNC, QVAM
priscis temporibus, vita.

CAPVT XXXV.



Aeterū si tam sacras, quam prophanas historias repetamus, vitæ nostræ periodū inuenimus magnopere fuisse mutatam; multoq; magis longæuos fuisse homines priscis temporibus, deinde semper vsque ad nostram hanc ætatem vitam factam esse breuiorem. Principio vixisse homines ad octingentos & nongentos annos & amplius, facer Geneleos liber cap. 5. testatur. Quos annos fuisse solares, nō lunares aut paulo maiores, vt aliqui crediderunt; ex cap. 7. & 8. manifestum est: Vbi in vnico illo anno, quo Noëticū diluuium durauit, plures numerantur menses, vel etiam septimus & decimus, & plures in singulos dies, vsque ad vigesimum septimum. Tum ex eo colligitur, quod eorum hominū quipiam genuisse filios narratur, cum sexagintaquinque annorum esset, hoc est quinque annorum aut paulo amplius, si de lunariibus annis id intelligatur. Alius post diluuiū, quo tempore facta est breuior vita, dicitur in cap. 25. fuisse mortuus in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: Cū tamen quintum & septuagesimum annum supra centesimū non excederet: qui si ad lunares referantur, non erunt plures, quam quindecim. Deniq; passim in sacris libris anni & menses nominantur, & in mensibus hebdomadæ ac dies distinguuntur non minus, quam nunc apud nos fiat.

Quosdam tamen licet paucissimos, multo post ea tempora vidisse quingentesimum & sexcentisimum annum & amplius, cap. 3. lib. 1. Iudaicarum antiquitatum Iosephus, & lib. 7. naturalis historia cap. 48. Plinius memorant: Quamquam annos hosce aut trimestres aut omnino lunares idem Plinius dicat. Verūm mox in cap. 49. subiūgit plurimos, qui in Italia censu Imperatorum Cæsarum centesimum solarem annum excessisse, & alios, qui centesimum quinquagesimum attigisse raperti sunt. Nūc autem vix vllus videt centesimum, & diutissimè vixisse creditur, qui octogenarius moritur. Tanta mutationis causa multiplex adferri potest.

Primum enim vitam tēporibus singulis breuior-

rem reddi oportet: quoniam magis semper recedit à primo principio primæque naturæ cuiusque origine; & ideo magis in dies consenescit vna quæque, & ad occasum accedit. Nam quod in hominibus atq; adeo viuētib; singulis accidit; vt quò magis à suo principio distat, eò magis eorum vitæ & duratio minuatur: Hoc ipsum in vniuersa specie ac natura, quæ in singulis conseruatur, intelligendum est euenire. Primū ergo maximè diurna fuit vitæ, quòd recēs natura robustissima esset, optimèque temperata & constituta. Post verò paulatim consumpto robore, morboque plurimo fractis viribus ac temperatione vitata; nihil mirum, si caduca magis & moribunda viuūt.

Deinde accesserunt crebra diluuiā inundationes aquarum, & incendia plurima: De quibus in Timæo & lib. 3. de legibus Plato, & Aristot. c. vlt. li. 1. meteororum. Ita namq; corrupta magnopere & permixta elementa fuerunt: in quibus aër præsertim vaporibus plurimis repletus est, humidiorque, quam par esset, factus, & quasi infectus plurimorum cadauerum putredine alijsq; sordibus, quæ in terra cōgestæ sunt. Inundationibus etiā illis aquarum factum est, vt cibi, quibus animantiū vitæ sustentari debuerat, propter nimium humorem aqueum detrimentum maximū paterentur. Quare cum minus feliciter corpora restauraretur, nihil mirum si minus viuere potuerūt. Hoc ita esse, magno illud erit argumento, quòd cum vsq; ad Noëticum diluuium felicissima esset & longissima hominū vitæ; statim post diluuiū repente truncata est.

Sed etsi nullæ essent huiusmodi aquarum inundationes, minus tamē bona & succosa minorisq; virtutis essent alimenta omnia: quòd terræ virtus ac feracitas singulis temporibus exhauriatur magisque minuatur: & ideo animalium quoque carnes corpora nostra minus reficiunt.

Scientia quoque illa & cognitio herbarum, lapidum, & naturalium virtutum cæterarum rerum, quæ Adamo fuerat à Deo tributa, quæque ad vitam sustentandam plurimū proderat, paulatim perijt.

Accedit hominū intēperantia, & immoderatus vsus sex illarum rerū, quæ à medicis nō naturales appellatur: ac potissimum nimius cibus & potus, ciborumque varietas & condimentum: tum verò immoderata Venus. Nam prior quidem causa adducit plurima morborum genera, natiuumque calorem debilitat & opprimit: posterior autem corpora siccat, refrigerat, & immaturam senectutem adducit. Quocirca cum dixisset Hippocrates in Aphor. 28. lib. 6. Eunuchos podagra non laborare, Galenus illorum verborum interpretationē faciens, sæculi sui miseriam & calamitatem seridè deplorat. Hippocratis, inquit, temporibus id verum erat, hunc verò propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam, non item habetur verum. Et omnino ex toto hominum genere non multò post addit propter vitæ temperantiam & moderationem summam paucissimos fuisse Hippocratis temporibus, qui podagra laborarent: At sua ætate auctis delitijs, luxu, & voluptatibus, infinitam esse podagra laborantium multitudinem. Ergo, vt verbis vtat Plinij in præmio lib. 14. voluptas viuere cœpit, vitæ ipsa desijt.

Huc nimirū spectat etiā præmatura generatio & propagatio naturæ. Antiquiores ad procreandū non copulabatur nisi ætate iam perfecta & robustis viribus: Quare & ipsi min⁹ detrimēti patie-

D ij

Priscis annos
fuisse solares.

Prima causa.

bantur, & perfectiorem magisque longævum gi-
gnabant factum. Posteri autem immatura adhuc
necdū satis confirmata ætate coniungi cœperunt.
Ex quo duo incōmoda secuta sunt. Primum enim
ipsorum corpora minus perfici potuerunt: bona
scilicet alimenti parte consumpta, qua illorū cor-
pora crescere & ad perfectum statum adduci de-
buissent: quin potius inter ipsa ætatis principia
debilitata sunt & fracta. Deinde imperfectum &
minus viuacem factum ciderunt. Quam ob cau-
sam sapienter Philosophus in 7. Politicorum lib.
cap. 16. in Republica voluit adolescentiū congres-
sum prohiberi; quod in omnibus animalibus im-
perfecti, & feminæ potius, quàm mares, paruaq;
omniñō corporis forma sint iuueniles partus:
Eoque brevi tempore interire, oraculi responso
confirmavit. Quare foeminis ante decimum o-
ctavum & maribus ante trigésimum quintum æ-
tatis annum non permittit nubere: ætate scilicet
magis confirmata & robusta; qua diuturnior pro-
les fieri potest.

7. Denique huius rei causa mihi videtur fuisse
peccatum. Nam ante primi parentis facinus hu-
mana natura à Deo condita fuerat nunquam mori-
tura. Post peccatum verò primis illis sæculis, qui-
bus maior erat hominum innocentia, aut minor
certè malitia diuturnior vita concedebatur: præ-
sertim cum ad propagandum genus humanū ne-
cessaria videretur. At multiplicata tandem natu-
ra, ac utique sceleribus, brevius factum est viuendi
tempus. Ita colligi potest ex capite sexto lib. 1.
Geneseos. Vbi postquam homines multiplicati
essent super terram, propter eorum scelera con-
stituit Deus illorum vitam minuire & ad centum
viginti annos contrahere. His enim verbis signi-
ficatur, tum propter vitæ integritatem & cultum
Dei; tum propter naturæ multiplicationem, lon-
giorem antea concessam fuisse vitam; deinceps
verò propter scelera & satis auctam naturam fuisse
breuiorem.

QUAE VIVENTIA LONGIO-
REM HABEANT VITAM.

CAPVT XXXVI.



Am verò si queratur, quenam viuentia
longiorem degant vitā, vix quidquam
videtur certi pronuntiarī posse. Quo-
niam vt in cap. 3. lib. de longitudine &
breuitate vitæ Philosophus tradidit; nec ea, quæ
sunt corpore grandiora, affirmare licet esse magis
diuturna; siquidem equus homine maior minus
viuit. Neque minora; quoniam insecta pleraque
vix vnum annum viuunt. Neque plantæ & stir-
pes; quarum plurimæ ne vnum quidem annum
absoluunt. Neque sanguine prædita animalia;
quoniam apes quibusdam sanguineis magis est vi-
uax. Neque exanguia; quippè plurima sunt an-
nua. Neque terrestria; quia multa vnicum annum
durant: neque aquatilia; quoniam ostracea & mol-
lia ferè sunt annua.

Quid ergo in plantarum genere quædam sunt,
quæ omnium diutissimè viuunt; vt palma & cu-
pressus; quæ ad quingentos annos & amplius di-
cuntur vitam producere. Cur verò plantæ aliquæ
tam diu viuant, aut ea est causa, quod reflorescant
sæpè & quasi renouentur: aut ea potius, quod æ-
re pingui, humore abūdant. Quod ex eo colli-

Cur quædam
plantæ diutissimè
viuant.

gi potest, quòd aquæ innatant: & si quæ duro ac
ipillo cortice rectæ sint, diutissimè humore ab ex-
ternis iniurijs tuerentur, ne aut siccetur aut conge-
letur, & ideo viuūt. Verè autem affirmatum fuisse
videtur à Theophrasto in 4. de illarū hist. lib. cap.
14. & lib. 2. de earundem causis cap. 15. diuturnas
magis esse terrenas, quàm aquatiles. Duriore enim
& magis syncero humore constant, minùsque re-
frigerantur. Deinde syluestres magis, quàm vrb-
anas & domesticas; quippè robustiores sunt, spif-
siores, fructuque infusciores. Ac demum inter
vrbanas ac domesticas citius eas interire, quæ fec-
unda sunt quàm eas quæ infuscandæ, citius mul-
tiferas, quàm pauciferas, citius eas, quæ dulces,
quàm eas quæ acidos fructus pariunt: Magnam
enim & potissimā substantiæ partem detrahit fu-
stificatis; præsertim si dulces fructus sint: Nam
optimam substantiam exhauriunt. De animalibus
portò extat illa Virgilij Poëtæ sententia,

Ter binos decresque nouem superexi in annos

Iussa senescerunt quos implet vita virorum:

Hoc nouis superat viuendo garrula cornix.

Cornicem mortuo marito nouem hominum æta-
tibus viuam peruectat scripsit Plutarchus in

opusculo, quòd bruta animalia ratione vtantur,

Et quatuor egreditur cornicis sæcula ceruus:

Aspedem ceruum ter vincit coruus: ac illum

Multiplicat noues phœnix reparat illis ales.

Quem vos perpetuo decet præuertitis euo

Nympha Amadriades, quarum longissima vita est.

Hi colibent finis viuacia fata animantium:

Cætera secreti nouis Deo arbitrat eui.

Sed quid quid fabulentur Poëtæ, prudenter iu-
dicauit Philosophus sanguinea vniuersè exanguis
longioris esse vitæ. Quia cū sanguis calidus sit
& humidus, aptissimus est ad conferuandā vitam.
Quòd si in quibusdā secus accidat id aut propter
exaguiū magnitudinē & sanguineorū quorūdam
paruitatem eueniat: aut propter bonum humidum
dulcēque cibum, quo vescitur, vt in apibus: aut
propter duram pellem, qua illorū humor & calor
optimè defenditur.

Terrestria quoque aquatilibus viuaciora esse tra-
didit: propterea quod humidū habent magis æ-
reum, purum, & pingue quodque difficilius conge-
letur: aquatilia verò humore magis aqueo, dilu-
to, & impuro abundant; nisi fortasè corporis
magnitudo compenset.

De aibus multa narrantur, quæ mihi non parū
suspecta sunt. Namque vitam earum breuiorē esse,
quàm terrenorū animalium, probabilis certè ratio
suadet. Quoniam ex corpore ferè sunt perexiguae,
parumque humoris continent, quod facile sicari
queat. Sed ratione locorū, in quibus degunt, aut
victus, aliarūque extrinsecarū causarū, fieri potest,
vt quædam diutius viuant, quàm terrestria multa.

In vniuerso autem terrestriū genere affirmavit
Philosophus, tum eo loco, tum in ca. vlt. lib. 4. de
animalium ortu, hominem & elephātem diutissi-
mè omnium viuere, diutiusque elephantē, quàm ho-
minem. Fortasè propter magnā corporis vastita-
tem, quæ humidū plurimum continet. Si tamen sa-
cras euoluas historias, hominē planè reperies na-
tura sua & cōditione vitæ habere omnium longissi-
mam: siquidē ad nonagētos annos & amplius eum
vixisse legimus. Quod rationi per quàm consenta-
nū est. Nō solū enim is reliquis omnibus præesse
debebat & omnibus vitæ: verū etiā eum in naturali
calore

calore omnis vita sustentetur, genus hoc animalis calidissimum omnium est. Adde etiam sui corporis proportionem humidissimum, & quidem optimo & ad prorogandam vitam aptissimum humore. Cur autem iam fiat, ut minus, quam animalia multa, viuat; colligere licet est superioribus.

Denique illud pretermittendum non est, quod Theophrastus admonuit; animalia, quae magis fecunda sunt, minus viuere; quaeque plurima pariunt, citissime conulescere & parere. Eadem autem est ratio, quae in plantis significata est, & Aristoteles mulum sterilem magis longaeuam esse dixit, quam sint equus aut asinus fecundi.

QVAE CORPORIS TEM-
peratio longaeuor.

CAPVT XXXVII.



AD hunc locum illa quoque medicorum disputatio pertinet; Quanam corporis temperatio maximè sit ad prorogandam vitam opportuna. Ac inter omnes quidem video ferè conuenire frigoris ac siccitatis excessum perbreuis esse vitam; quod hae duae qualitates sociæ sunt mortis, suaque natura adducant interitum: Sed ego minimè verborum affirmare, breuioris esse vitam temperatione illam, quae frigore magis abundet, quam siccitate. Nam, etiam calore & humore sustentetur vita; calor tamen præcipuus est vitæ parens & dux; humor autem velut id in quo sustentetur calor. Quare cum ea, quae frigore magis abundant, minorem habeant calorem; frigidusque perpetuas cum calore inimicitias exerceat atque illius operationes impediatur, consequens omnino est, ut eorum vita sit breuior. Ex eo quoque sumere licet argumentum; Quod si quæ temperationes calore & humore excedant, & si ambæ sint qualitates vitæ; diuturniores tamen, & viuaciores illæ sunt, quæ ad calorem propensius inclinant; quoniam hæc potius est vitæ qualitas. Contra igitur caduca magis & mortalis erat illa, quæ frigore magis, quam siccitate, excedit; quoniam qualitas magis noxia vitæque magis inimica dominabitur.

4. Itaque cholericæ temperatio potior est ad vitam, quam pituitosa & phlegmatica. Quoniam cum utraq; alteram duntaxat habeat illarum qualitatem, quæ vitæ comites sunt, cholericæ calorem habet, phlegmatica humorem, eumque impurum satis, dilutum, ac penè aquosum. Omnium igitur minimè viuax est melancholica,

5. quæ utraq; mortis qualitate regitur. Deinde phlegmatica, quæ frigus mortiferum habet & humorem vitæ. Tum cholericæ, quæ calore abundat, siccitate licet adiuncta. Omnium optima est sanguinea, quæ utroque vitæ principio nititur, calore & humore.

Quod enim aliqui probare conantur, calidam & siccam temperationem esse omnium maximè diuturnam; tum quia paucissima gignit extremæta, ex quibus morbi plurimi eruantur: tum quia dum procedente ætate frigus & humiditas accedunt, optima sit in senectute ad prorogandam vitam temperatio minus necessarijs argumentis concluditur. Nam ut mittam, in eorum altero

A inter sanitatem ac vitæ diuturnitatem non satis distingui; multò maior in illis inest necessitas, quæ pro sanguinea temperatione utrumque principium vitæ copulatum proponunt. Siquidem utrumque est ad vitam sustentendam necessarium; Neque hæc temperatio magis est excrementosa, quæ humore constat, non pituitosa & aqueo, ut phlegmatica; sed aëreo pingui, totoque utili & ad vitam reficiendam caloremque tuendum optimo. Procedente autem ætate tantum abest, ut calida & sicca temperatio ad producendam vitam melior euadat, ut calore fracto ac debilitato, siccitateque magis corpore, senectus & mors, quæ siccitates quædam sunt, breui cõsequantur. Nam quæ humiditas accedit, tota pituitosa est, frigida, & prorsus noxia: quæ calorem potius extinguat, quam foueat; nec vitam proroget, sed mortem adducat.

B Probabili ratione disputari potest, si hæc ipsa temperatio sanguinea cum ea comparetur, quæ omni ex parte temperata sit. Nam Diuus & Conciliator propterea longiorem vitam temperatæ dederunt, quod longius distet ab extremis, quæ interitum adferre possunt: quod medici egrotorum corpora conentur semper ad eam temperationem adducere; quasi ea optimè conseruetur vita. Ac demum, quod operationes videatur habere perfectiores. Contra. Haly & Tuzifanus & Thomas de Garbo alijque cõplures sanguineam potius calidam & humidam anteposunt. Fuitque sententia, tum Galeni, ut illa verba testantur, quæ leguntur in 6. lib. de sanitate tuenda cap. 8. quod ad temperamenti rationem attinet; qui maximè, sunt humidi, ij maximè sunt longæui. Tum Aristotelis, qui calorem & humorem totius vitæ principia posuit. Nam si in harum qualitatum dominatu, vitæ consistit, maior sanè aut minor illius duratio in ætate aut minori dominatu consistit.

DErgo qui secus senserunt, haud satis longitudinem vitæ à sanitate distinxisse videntur. Etenim eam quidem constitutionem, quæ planè fuerit temperata, fatebor ego libenter magis esse sanam, & confirmabit Galenus in lib. de optima nostri corporis constitutione cap. 2. & 3. quod sanitatis natura in huiusmodi qualitatum omnium temperatione consideratur. quæ etiam minus facile à quauis causa perturbatur. Et ideo medici ægrotum corpus ad sanitatem trahentes, omni arte conantur ad hanc temperationem adducere. Et cum sanitas temperationem eam significet, quantum est perfectarum operationum principium, quid mirum si temperatum corpus perfectè operetur? At dum vitæ durationem video à perfecta vel imperfecta operatione abstrahere, à temperie vel intemperie atque ab alijs omnibus, solamque nutriendi animæ cum calido permansione significare, ut à Philosopho definitum fuit: quocumque tandem modo temperatum sit corpus atque in illo anima operetur: planè constituo, eo diutius permansuram esse animam, vitæque longiorem fore, quò plus caloris & humoris fuerit. Fit enim persæpe, ut longam vitam quis habeat & ad magnam senectutem perueniat, qui valetudinarius sit & plurimis morbis obnoxius.

LONGAE

vite signa.

CAPVT XXXVIII.

D Enique tota hac vitæ consideratio finem habebit, vbi præcipua quaedam vitæ longæ signa subiecerō. Ex probatissimis autoribus hæc fermè colliguntur. Corpus magnum, sed membrorum omnium proportione constans: corpus quadratum optima præcipuarum partium constitutio & affectio, cordis inquam, iecoris, cerebri; mutuæque inter eos proportio: ceruix crassa, pectus amplū & latū: incurui humeri: partes superiores maiores: caro solida & minimè spongiosa: vox magna, lenis, & suavis; color nec nimis albus nec omnino niger, sed inter vtrumq. medius; non tamen plūbeus, verum cum quodam quali nitore, qui optima coctionis & purioris substantiæ testis est: aures magnæ & omnes extremæ partes, atque inter eas summi digiti crassi: dentes crebri, solidi, magni, candidi, & multi, hoc est minimum duo & triginta, aut etiam plures. Quibus enim plures, inquit Philosophus cap. 3. lib. 2. de animalium historia, hæc viuaciora magna ex parte sunt, quibus pauciores & rariore, hæc magna ex parte vitæ sunt breuioris. Cuius causam cum quaereret in problemate 47. sectionis 10. eam esse respondit: quia dentium raritas os mandibulæ toruque capituli densum indicat. Quare cum non satis expirare possit, infirmum efficitur breuique tempore putrescet. Contra si plures sunt & crebri. In eadem autem historia lib. 1. cap. 15. lineas seu fissuras; quæ in interiore manus parte videntur, idem ipse philosophus vitæ indices appellauit: binasque illas, quæ per mediam ducuntur volam, si longiores fuerint & per totam manum productæ, longam vitam significare voluit. Adde etiam si profundæ, latæ, rubicundæ, & omnino benè formatæ, minimèque interruptæ. Breuem autem, si breues & secus omnino affectæ. Tum quia ut est in 48. problemate sectionis 10. & problemate 10. sectionis 34. vniuersè articulata omnia animalia longioris vitæ sunt, quàm de articulata & minus distincta. Tum quia accurata linearum formatio & distinctio efficacem & robustam formaticem virtutem testatur, bonumque humidum & calorem: immò & singulare naturæ studium atque industriam; quæ si de rebus leuissimis ac minus necessarijs fuit sollicita, multò magis credenda est cordis, iecoris, cerebri, & aliarum principum, prorsusque necessariorum partium maiorem veram habuisse. In problemate quoque 63. sectionis eiusdem. 10. traditum est breuiorem illis esse vitam, qui partem vmbilico subiectam vsque ad ilia maiorem habent, quam superiorem quæ ad pectus pertinet. Quoniam hi cum paruum habeant, angustum, & frigidum ventrem; minus coquant, plurimisque excrementis abundant eorum corpora: & ideo minus viuere possunt. Denique longæ vitæ signum existimatur esse mediocritas statura corporis, & eadem non festina & præmatura, sed tarda accretio. Post hoc est patum & tardè crescere. Tum multum & citò. Po-

Manu linea.

A streuò parum & citò. Hoc enim breuemplanè vitam significat.

Hæc omnia Plinius fortasse contemneret: quæ admodum quædam contempsit in cap. 52. lib. 11. suæ naturalis Historiæ. Sed profectò immeritò & parum prudenter. Siquidem diligenti obseruatione collecta omnia, diuturnaque experientia confirmata fuerunt: & naturali ratione nituntur, multò scilicet calore & humido, eoque bono & optimè cocto.

QUID MORS. DE QVE DVPLI-
ci mortis genere, per Marcorem &
caloris extinctionem.

CAPVT. XXXIX.

R Ost vitam dissetere de morte oportet, Ergò ut in conuenienti & apta qualitatibus omnium temperatione, ac potissimum in calore & humore conseruatur vita: Sic efficitur necessario, ut qualitatibus imperies, calorisque potissimum, & innati humoris consumptio, mortem adducat. Idcirco Aristoteles, qui vitam definiuit nutritis animæ permanentem cum calido, mortem caloris extinctionem esse affirmavit in libro de vita & morte cap. 14. non quòd formaliter sit extinctio, sed quòd hæc adducat mortem. Quoniam enim sine calore non potest anima in corpore permanere; Enecto calore animam tolli necesse est. Ut sicut vita est habitus quidam & permissio animæ in corpore cum calore; ita mors illius habitus priuatio sit, & absentia seu discessus animæ à corpore propter extinctum calorem.

Mors quid.

Mortem vitæ oppositam esse velut illius priuationem, nemo est qui ignoret. Vescum absentiam eam & priuationem intelligere non oportet, quæ consideratur in corpore antequàm cum illo anima copuletur. Quoniam tunc est corpus non viuat, seu ad vitam sit potestatis, neq. adhuc anima, sed adesse possit; mortuū tamen non dicitur. Verum eam potius quàm antecessit vnio & presentia animæ quæque vnionis dissolutionem & animæ separationem atque discessum significat. De qua peruulgatum est illud Photophorum axioma: Apriuatione ad habitum non est regressus. Neque animal, quod semel obiit, potest rursus naturæ viribus redire ad vitam.

Mors quali priuatio vitæ sit

Priuationem hanc & absentiam indicare nobis voluit Aristoteles, cum illius causam proponens, mortem pronuntiauit caloris extinctionem esse; hoc est caloris in humido extinctionem provenire: caloris in qua tanquam principij, quo potissimum anima & vita conseruabatur: humidi autem, tanquam eius, in quo sustinebatur calor. Et ideo solius fortasse caloris meminit: quia cum illius extinctione adiuncti quoque humidi extinctio intelligitur.

Mors causa.

Nisi etiam vtrumque distinxit, cum duplicem fecit interitum; vnum per marconem, alterum extinctione à contraria & hostili qualitate procuratum, Marcorem namque ad humidum, extinctio contrarij ad calorem pertinere videtur. Marcorem tunc viuens creditur interire, cum propter humorem consumptum moritur, quo sustinetur

Duplicem mortis genus.

Calori debet
modis deficiat
alimentum.

tabatur vita. Cum enim calor in humido semper esse velit; Si deficiat humidum, ita cum eo deficiat calor, ut marcescere dicatur. Sed duobus modis potest alimentum calori deficiere. Aut quod verè totum consumptum sit, neque vllum additum; sicut consumptis lignis perit ignis, oleoque deficiente lucerna extinguitur. Aut quòd calor tam debilis sit & fractus, vt appositum alimentum mutare amplius nequeat. Sic enim paruis ignis viridioribus lignis appositis extinguitur, quod in suam naturam commutare illa non possit. Nam hoc ipsum accidit naturali calori: qui tum ex inopia alimenti marcescit, vt in longa inedia; tum ex nimia imbecillitate opportunum & necessarium alimentum appositum non commutat, vt in senibus euenit. Quamquam ex hoc duplici marcescendi modo posterior dumtaxat est naturalis; alter penitus violentus. Quoniam cum calor adhuc esset robustus, atque ad commutandum alimentum vitamque prorogandam satis efficax; externa vi factum est, vt alimentum famenti subtraheretur & idèò periret.

Mors naturalis
& violenta.

Hinc duplex mortis genus exiit: alterum naturale, quòd ex defectu caloris accidit, qui amplius al non potest, atq. ob humidi siccationem marcescit: hæcque in animalibus appellatur fectus & mors, in plantis ac stirpibus ariditas. Alterum violentum & præter naturam. Dum enim calori adhuc robusto ac voraci necessarium alimentum negatur, cogitur ipse in se ipsum se se conuertere, ac membra, in quibus sustentatur, resoluere & dissipare. Potest autem hoc ipsum mortis genus ex suffocatione quoque contingere. Nam respiratione prohibita, necessariâque cordis refrigeratione impedita, nimius euadit focus; qui cum spiratione priuatur, opprimitur in se ipso. Id verò euenit, si aut nimio calore siccantur pulmones, immoderate frigoris reddatur immobiles, nec aërem amplius trahere possint, aut magna pituita alteriusve noxiæ materiæ copia per arteriam asperam ad pulmones defluat, eosque corrodat & inficiat: aut demum ab externa prorsus causa; siue strangulatione violenta, siue cibo in memoratam arteriam ingrediente. His etenim omnibus modis respiratio & caloris refrigeratio impeditur, suffocaturque & in se ipso marcescit calor.

Respiratio duobus modis prohibita.

Sanè in omni morte quæpiam eiusmodi suffocatio respirationisque defectus adest. Sed duobus modis potest animal respiratione priuari. Aut enim ex causa propria priuatur & illius effectus adæquata, quem deinde mors consequitur: propterea quòd illorum animalium vita, quæ pulmones habent, sine respiratione conseruari nequit, quæ nisi prohiberetur, alia nulla subesset interitus causa. Aut etiam ex alijs causis id euenit; quæ propria & insita sibi virtute mortem viuenti adferunt, & ex accidenti seu naturali ac necessaria consecutione respirationem tollunt: quoniam corpus mortuum respirare non potest. Et idèò qualibet hostilis causa occidens animal, ex accidenti quoq. respiratione tollit, quâuis nulla subit propria & adæquata causa, quæ illius vsum prohibeat. Cum quouis potèò mortis genere cõiunctam esse oportere respirationis prohibitionem: perspicuum est propterea fieri, quòd respiratio facultatis vitalis effectus est. Quare vbiunque

A fuerit respiratio, necesse est esse vitam; omnisque causa tollens vitam tollit etiam respirationem. Itaque si ex causa propria & adæquata deficiat respiratio; ita vt nisi illa adest causa, planè non moretur animal; mortis illud genus à cæteris distinctum constituitur; diciturque suffocatione constare, quoniam nulla adest alia mortis causa, quàm suffocatio. At si ex accidenti & necessaria consecutione respirandi vsum prohibeatur, aliâq. aliqua sit necis & interitus causa; illam potius, quàm prohibitam respirationem, dicimus esse mortis causam.

Caloris extinctio.

B Alterum genus mortis initio nominatum per extinctionem caloris erat. Quæ mors aut infetri potest à contrario & hostili frigore, aut à nimio calore externo internu & vitale calore obruente ac dissipante. Quemadmodu Aristoteles in problemate 5. & 25. sectionis 3. vini calore docuit naturale eorum calorem extinguere, qui intemperantius bibunt; eamque ob causam illorum corpora tremere & rigere. Quò etiam referri potest extinctio illa, quæ aut ex humorum putrefactione nascitur, aut ex continui diuisione, siue vulnere, siue alia eiusmodi causa, quæ nimiam adferat refrigerationem aut sanguinis effusionem. Perinde enim euaporat & exit calor.

DE MORTE, TYM NATURALI, TYM VIOLENTA.

CAPVT XL.



Væ omnia cum ita se habeant, optimè Aristoteles duplicem distinxit mortem; vnam naturalem, alteram violentam.

Quamuis enim omnis mors naturalis dici possit ratione materiæ, quæ propter inexplicabilem eam, quam habet potestatem, formas omnes infatigabiliter concupiscit. Vidit tamen summus Philosophus id quoque naturale dici posse, quòd à naturalibus & in ipsa re existentibus causis temporèque à natura constituto fit: illud autem præternaturam & violentum, quòd siue ab externis & ingruentibus causis, siue imaturè & ante præscriptum tempus efficitur. Atque hoc modo ea sola mors naturalis appellatur, quæ ob senium & temporis longitudinem marcescendo adducitur: Tantoperè scilicet debilitato atque enervato calore, vt necessarium amplius alimentum commutare nequeat. Ea verò violenta, quæ & caloris extinctione & marcore sit reliquis omnibus modis, quos paulò antè commemorauimus.

Mors naturalis quæ?

Violenta quæ?

E Quocirca plurimùm omino differunt hæc duo mortis genera. Tum quia eorum alterum vno tantum modo euenit: alterum multis planè modis fieri potest. Tum quia prius illud genus ab interno & in ipso viuente insito principio quodam modo est; nempe à naturali calore nimium debilitato & fracto: tametsi ex accidenti mortis causa ducatur: propterea quòd perfectè, vt antea, operari non valeat. At posterius ab extrinseco prorsus principio est. Accedit, quòd primum non nisi in vltima ætate potest contingere: Alterum quouis tempore, quare nulla arte nullisque

medicamentis mors primi generis arceri potest aut ulterius vita protendi; nisi breuissimo fortasse tempore, non nihil recreata confortatq. natura. At mors posterior vel ad longissimum tempus facillime impeditur. Denique auctor est Aristoteles primum mortis genus esse sine tristitia doloris sensu. Siquidem calor illa resolutio & consumptio insensibilis est & sine latione. Quam ob causam decrepitos homines saepe vidimus interloquendum aut agendum quidpiam efflasse animam; perindeque esse mortuos, ac si essent dormituri. At genus alterum sine latione aliqua, dolore, angustia, & vi, nunquam euenit. Non enim absoluta naturali periodo interioribusque vitæ principijs debilitatis & eneruatis sensum accidit, sed exteriori ac robustiori causa extremam vim toti naturæ inferente, omneq. illius robur extinguente.

Quamquam si naturale rationis iudicium insistantque hominibus imaginationem spectes, nullam iudicabis esse mortem sine tristitia, licet interdum absque doloris sensu eueniat. Quoniam cum vnaqueque res appetat esse, omnis mors naturalis quandam tristitiam adfert: quam vel in bestiis ipsius animaduertimus. Immo cum ita sit natura comparatum, ut quod perfectior est quæque res, eo magis in se quodam omnibus desiderio esse percipiat: homo videntium omnium perfectissimus maximam sentit de sua morte tristitiam. Quod illud Philosophi confirmabit, quod est in cap. 9. lib. 13. de moribus ad Nicomachum; eo magis ob suam mortem dolere hominem affirmantis, quod magis est virtute ornatus & felix: quoniam maximè dignus est qui viuat, maximisque priuari se bonis intelligit. Atque tum augetur magnopere ex cognitione, quæ homo præ cæteris animalibus habet. Tum ex eo, quod illius anima immortalis est, apraque perpetuo dare esse corpori: Nec fatigatur vnquam aut debilitatur; ut cæteræ mortales formæ. Denique immoderatus accedit ad res terrenas affectus. Fascinata namque, ut verè Synesius loquitur in lib. de somnijs, materia donis anima perinde afficitur, atque illi, qui cū liberi sint, ad certum tempus mercede conducuntur ad opus: Vbi ancillæ cuiuspiam pulchritudine capti moras trahere volunt, ipsius amata domino seruire constituentes. Rationis tamen ac supernaturalis iudicij ope persæpe fit, ut mors per multis non solum sine tristitia, verum cum summa quoque iucunditate sit. Ut de sanctis viris legimus, ac præsertim Christi martyribus: qui cum maximis quidem sensus corporisque doloribus, ac cum summa animi alacritate & læticia mortem obierunt.

PROXIMAE MORTIS
indicia.

CAPVT XLII.



Etum cum antea quæ essent vitæ signa ostendit, operæ pretium fuerit postremo hoc loco mortis quoque argumenta quadam præcipua paucis colligere: Atque ita totum hunc librum tandem concludere, in quo tum de animati cor-

poris temperatione, tum de ijs, quæ cum illa considerantur, actum est. Ac de signis atque indicijs violentæ mortis, quæ causam prorsus extrinsecam habet, nihil certi affirmare licet; Sed de illius dumtaxat, quæ ex consumptione aut marcore caloris, morbo quopiam corpora nostra vexante, accidit.

Cuius indicia ex tota primùm, facie sumi possunt: quam magnopere immutatam videamus atque à naturali statu & conditione recessisse, quæ sanitatis tempore esse consueuerat; & viridi nigroque calore occupatam: præsertim verò inter initia morbi, nec exteriori vlla vrgente causa.

Deinde ex faciei partibus hæc habentur. Nares acuta, collapsa tempora, aures frigida & contractæ, fibræque veras, cutis circa frontem dura, tensa, & arida; oculi concaui. Hæc enim omnia aut ex aliqua causa proficiuntur, quæ carnosas partes consumat ac deuoret; aut ob natium caloris imbecillitatem eueniunt, qui ad extremas partes extendi amplius non potest, sed solis visceribus cõtinetur; ut in primo prognostico com. 7. pluribus exposuit Galenus. In oculis quoque spectandum est, an refugiant lumen & læchimentur. Vtrumque enim ex aspectricis facultatis aut retentricis imbecillitate nascitur. An alter altero fiat minor, debilitata scilicet virtute eum regente. Num in ijs liuida aut nigra appareant venulæ: qui color ex sanguine ob caloris defectum extinctamque virtutem refrigeratam prouenit. An instabiles sint & tremuli, an vehementer subsidiant, an in somno palpebræ coniungantur, an verò inter illas albi quidpiam conspiciantur. An obrutus squalidus sit & sine splendore. An palpebræ, labia, nares, vngues, digiti, liuida sint an nigra. Hæc enim calorem innatū, qui ex corde proficiunt, extingui significant.

Tum in decubitu animaduerti potest, an supinus cubet, ceu resolutus & ita debilitatus musculis, ut in latus cubare nequeat. An nimium extendat aut contrahat genua; an ad pedes corporis pondere dilabatur an brachia & crura nudet, & inæqualiter huc atque illuc dispergat. An ita antepectus coniungat: ut vnum imponat alteri caputque in dextrâ & sinistram partem virtute, sc. debilitata, flectat: An hiante ore dormiat, aut vigilet: An in lecto residere aut omninò surgere velit.

Denique in toto corpore attendendum est, an vniuersa illius virtus ita dissoluatur, ut retinere amplius excrementa non possit. An propter imbecillitatem & organorum dissolutionem aspiciat, audiat, & cæteris fungatur sensibus. An aures, nares, pedes, manus, & omninò partes extremæ refrigerentur caloreque prorsus destituantur. An dentibus præter consuetudinem strideat: neruorum enim origo affecta est. Et si vltus sit in corpore, euadat siccum: nutriente virtute debilitata: & aut pallidum, si biliosus abundet humor: aut liuidum, si ater. Videndum etiam est, an manus circa vultum moueat, quasi venerit muscas: aut de veste pilos, aut de pariete festucas carpat. Etenim ob suffusionem à capite in oculos factam id euenit, quasi extra videat id, quod est in oculis: An crebrò & frigidum respiret: An frigidum sudet, an circa caput dumtaxat, vultum, & ceruicem. An magni, duri, & cum dolore tumores insint in hypocondrio vniuerso. Quæ omnia & id genus alia di-

An mors sine
tristitia.

alia diligentissimè solent medici in moribundis A
corporibus obseruare.

Mihi verò propositum est trium effectuum, quos in illis animaduertimus causam exponere. Primum enim cur eorum partes extrema frigent? an quia totus calor, dum oppugnatur, recipit sese ad cor velut ad fontem & principium? aa quia partes illæ iam sunt mortuæ atq. ab anima destituta, non solum enim ex sua natura minus viuaces sunt, sed etiam à corde caloris vitaque principio maximè distant. Et vt primum omnium viuit cor, sic vltimum moritur.

Deindè cur eo potissimum tempore præsagiunt homines & futura prædicunt? sic enim communis fert existimatio. An, vt inquit Platonici, quoniam anima incipit à corpore separare, ita namq. fit, vt complura videat, quæ antea corporis mole oppressa non cernebat. Quemadmodum in somnijs item plurima nos futura intelligere, iidem illi philosophi opinantur. An verius multò pronuntiabimus, sanctis quidem viris multa sæpè à Deo fuisse eo tempore indicata, quæ euentura

essent, siue ad ipsos illa, siue ad alios pertinerent: at ex naturæ principijs nihil tunc futurum cognoscimus animam minimè ad intelligendum esse aptam; cum vniuersa corporis organa sint penè destructa.

Postremò cur homines cum ad mortem propè accedunt, melius habere videntur? An id fit ab intelligentia, vt inquit aliqui, an absurdum est? Et cum in morte sola violenta id accidat, quæ cum naturæ repugnantia & lucta euenit, in extremum potius naturæ conatù referendù est. Sed vnde tanta vis in extrema lucta naturæ propemodù profligata? An ex eo, quòd natiuus calor, cum antea robustus esset & per totum corpus dispersus, paulatim corrumpebatur; & idè paulatim quoque resistebat. Ac cum ruina maior facta est, magnopereque mors dominari cœpit, ac de tota rerum summa agitur, recipit se se totus ad cor, velut ad principium & arcem, in qua non nihil confirmatus fortius dimicat; sed statim à robustiori hoste prosternitur. Atque hic fit huius primilibri finis.

FINIS.

